Commentationes biblicae

I

De religione populari Israelitarum

Scripsit

Franciscus Xav. Kortleitner

Ord. Praem.



1927

Oeniponte. Typis et sumptibus Feliciani Rauch.

13521

Nr. 8247

Imprimatur

Administratura Apostolica

Oeniponte, die 3. Decembris 1926

L. S.

Urb. Draxl
Prov.

Imprimatur

Wiltinae, die 3. Decembris 1926

L. S.

Henricus Schuler
Abbas Ord. Praem.

L. S.

Ut posterioribus temporibus regnum Israelitarum in duo regna divisum est, ita omnibus temporibus duae religiones diversae in gente Israelitica exstabant, quarum hoc commune est, quod Jahven profitentur: *religio legitima* et *religio non legitima,* quae a viris doctis nostrae aetatis vulgo *religio popularis* nominatur. Separatio a religionibus et moribus ceterarum gentium orientis antiqui religionis legitimae Israelitarum propria est. Ita non solum religionibus omnium aliarum gentium antiquarum, sed etiam religioni et moribus multorum Israelitarum, qui non religionem ducum gentis Israeliticae a deo constitutorum amplectebantur, i. e. Israelitarum religioni populari contraria est. Magnum est officium eorum, qui in explicando vetere testamento versantur, perquirere, quantum religio popularis in historia gentis Israeliticae valuerit, i. e notionem eius religionis definire atque considerare, in quibus rebus appareat et quae ratio ei cum religione legitima intercedat. Id huic commentationi propositum est.

Genus quoddam religionis popularis Israelitarum, quod recentiore aetate animos virorum doctorum vehementer in se convertit, ex papyris Aramaicis in Nili insula Elephantine effossis cognovimus. De qua religione in libello, qui inscriptus est „De Judaeorum in Elephantine-Syene colonia eiusque rationibus cum vetere testamento intercedentibus“ copiose disserui.

Scripsi Oeniponte Kalendis Februarii 1927.

F. X. K.

Ut religio Israelitarum monotheismo a religionibus ceterarum gentium antiquarum separatur, ita in historia religionis Israelitarum ipsa aliquid contrarium invenimus, quod in nulla alia religione orientis antiqui observamus: postulata religionis Jahvae cum Israelitarum ad polytheismum et cultum naturae rerum proclivitate pugnant. Religio Jahvae postulat, ut gens Israelitica *unum* Jahven deum agnoscat eiusque praecepta diligentissime observet. Quae tamen religio saepe adeo a studiis gentis Israeliticae abhorret, ut monotheismo usque in tempora exsilii Babylonii cum iis pugnandum sit. Ex historia sacra apparet Israelitas haud raro specie quidem Jahven amplexos esse, re vero ipsâ monotheismum ne tum quidem, cum per saecula in Palaestina consederant, penitus percepisse.[1]) In eo ipso veritas scriptorum veteris testamenti apparet, quod nunquam affirmaverunt totam gentem Israeliticam semper religioni Jahvae deditam fuisse; immo vero plane de multis in religione opinionibus et ritibus narrant, quibus maiores aut minores partes populi a religione Jahvae deficientes indulserunt. In nullo populo antiquitatis rerum scriptores inveniuntur, qui suum populum tam saepe vituperaverint, tam saepe accusaverint, quod a religione patria defecisset et praecepta morum violavisset, quam saepe id in libris historiarum veteris testamenti fit. Neque peccata eorum, qui aliter summa laude digni sunt, ut regum David (2 Sm 11, 2—17; 1 Rg 15,5) et Salomo (1 Rg 11, 6—8), silentio praeterierunt.

---

[1] Aliquid simile hodie in religione Muhamedi invenimus, quae apud Arabes nihil aliud est nisi quoddam involucrum opinionum et rituum ad religionem pertinentium, quae per saecula apud eos permanserunt (*H. Greßmann*, Palästinas Erdgeruch in der israelitischen Religion p. 43. Berlin 1909).

I

Si de religione Jahvae disputatur, ea sola, quae in lege Mosaica scripta legimus, respicienda sunt, neque eorum, quae in sacris litteris ipsis aliena esse dicuntur, ulla ratio habenda est. Quare vera religio Jahvae sive *religio legitima* a *religione populari*, quae vocatur, semper discernenda est, ut cognoscamus, quas opiniones ritusque sacros ad duas illas religiones pertinent.

Dolendum est, quod hac aetate religio legitima et religio popularis crebro non discernuntur, quamquam duces Israelitarum a deo constituti non desistunt, cum Israelitae cultus gentium ethnicarum, quae circa erant, rursus exercere coeperunt, id defectionem a vero deo, immo vero „adulterium" appellare et impugnare. Atque ex eo, quod multi viri docti eas religiones non discreverunt, plurimi errores, qui in operibus recentioris aetatis ad historiam religionis veteris testamenti pertinentibus inveniuntur, manaverunt. [1] Velut quod *W. R. Smith-R. Stübe* (Die Religion der Semiten p. 196 s. Freiburg i. Br. 1899) dicit ex vetere testamento apparere caerimonias in sacrariis Israelitarum et Cananaeorum usitatas tam similes fuisse, ut multitudo discrimen cultuum Jahvae et Baʿal nosse non posset, id nemo probare potest nisi qui legitimam Israelitarum religionem a religione populari non discernit. *B. Stade* (Biblische Theologie des A.T. I. Die Religion Israels und die Entstehung des Judentums. Tübingen 1905) religionem legitimam et religionem popularem Israelitarum discernere prorsus neglexit. Ut exempla afferam, Ascheram sive stipitem sacrum iuxta aram erectum, qui locum arboris sacrae (symboli deae fertilitatis) explebat, qua nemo in sede cultus carere volebat,[2] ad instituta cultus Jahvae pertinuisse eumque et Samariae 2 Rg 13, 6 et in templo Hierosolymitano ib. 18, 4; 21, 7; 23, 6. 15 (sic!) stetisse dicit (p. 113). B. Stade igitur non respexit Dt 16, 21 (cf 7, 5; 12, 3) Ascheram erigi severe vetari neque solum 2 Rg. 13, 6 Ascheram Samariae erectam, sed etiam ib. 18, 4; 21, 7; 23, 6. 14 Ascheram in templo collocatam defectionem a legitimo cultu Jahvae appellari. Quae cum ita sint, locos biblicos ita attulit, ut iis ipsum contrarium

---

[1] *A. Bertholet* quoque (Die Eigenart der alttestamentlichen Religion p. 12. Tübingen 1913) queritur religionem popularem Israelitarum a religione virorum meliore rerum cognitione imbutorum plerumque minus discerni quam oportere. Qua de causa de iis, quae ad veram religionem Jahvae pertinent, saepius haud recte iudicari. Nam ut iudicium de arte gentis alicuius ad artifices eius, non ad vulgus imperitum referendum sit, ita in religione quoque iudicanda agendum esse. Conferas etiam *N. Peters*, Die Religion des AT in ihrer Einzigartigkeit unter den Religionen des alten Orients (*G. Esser* und *J. Mausbach*, Religion, Christentum, Kirche I,[3] Kempten-München 1920) p. 5. *E. König*, Theologie des AT, kritisch und vergleichend dargestellt [3-4] (Stuttgart 1923) p. 27.

[2] Videas *H. Greßmann*, Altorientalische Texte und Bilder zum AT (Tübingen 1909) imag. 156, quae stipitem sacrum cum orbe solis alato in cylindro signatorio Hethitico, et imag. 157, quae stipitem sacrum cum cornibus lunae in cylindro signatorio Assyrio expressum demonstrat. *G. Schumacher* se duos stipites sacros in Tell el-Mutesellim invenisse putat (Mitteilungen und Nachrichten des Deutschen Palästina-Vereins 1905, p. 25 s.). *A. Musil* (Arabia Petraea II, 1. p. 281 s. 285. Wien 1907) se super sepulcra truncos arborum, e quibus varia dona pendebant, vidisse dicit.

eius, quod re vera significant, demonstret.[1] Item falso contendit ex verbis Hos 3, 4: „Per dies multos Israelitae sedebunt sine rege et sine sacrificio et sine stela et sine ephod et teraphim" colligendum esse stelas et teraphim initio ad verum Jahvae cultum pertinuisse (p. 115. 121). Nam secundum v. 3 mulier illa, quae imaginem gentis Israeliticae exhibet, ab omni virorum consuetudine et non legitima et legitima abstinere debebat: „Per dies multos sedebis mihi (i. e. exspectabis me) nec scortaberis nec eris viri (alterius i. e. nec nubes alii)", v. 4 autem, qui allegoriae illius explicationem continet, Israelitis legitimum et non legitimum cultum (sacrificium et stelam), legitimam et non legitimam dei consulendi rationem (ephod et teraphim) ablatam iri propheta praedicit.[2] *K. Marti* (Geschichte der israelitischen Religion[5] p. 88—91. Straßburg 1907) ille quidem de „religione Jahvae antiquorum Israelitarum" et de „religione populari" agit, sed idem duas illas religiones inter se coniungit, cum „religionem Israeliticam" integram mansisse neget. At e fontibus contrarium cognoscimus: religio Israelitarum permansit atque exculta est, iuxta eam autem religio popularis viguit, quam qui profitebantur, praeceptis ducum gentis a deo electorum (prophetarum) non parebant.[3] Et quod idem auctor dicit ab Amos, Hosea, Jesaia, Micha prophetis religionem prorsus novam initium cepisse, „pristinae religioni", quae rebus magicis numen divinum cogere volebat, contrariam (Stand und Aufgabe der alttestamentlichen Wissenschaft in der Gegenwart p. 26. Bern 1912), religionem prophetarum cum religione populari confundit;[4] nam illa „pristina religio" non erat religio legitima Israelitarum. Quod *E. Meyer* (Der Papyrusfund von Elephantine. Dokumente einer jüdischen Gemeinde aus der Perserzeit und das älteste erhaltene Buch der Weltliteratur p. 66. Leipzig 1912) ad Hos 3, 4 adnotat: Simulacrum dei, quod ad oraculum adhibebatur (*'êphôd*), et teraphim, lapidem cultus (*maṣṣêbâ*) et sacrifi-

---

[1] *R. Kittel* quoque (Geschichte des Volkes Israel II,[6] Gotha-Stuttgart 1925) contendit stipitem sacrum Phoenicum et Cananaeorum in cultum Jahvae translatum esse, quamquam proprie ad cultum Baʿal et 'Aschêrâ pertinuerit (p. 59). Id inde effici, quod eius in historia regis cuiusdam e domo regia Jehu, quem cultum Baʿal abolevisse constet, mentio fiat (2 Rg 13, 6); magis id ex Mich 5, 13; Jdc 3, 7; 6, 25 ss; Dt 7, 5; 12, 3 etc. apparere, quibus locis stipitibus sacris intercedatur (p. 303). Idem auctor prope aram Jahvae, si non semper, attamen crebro lapidem sacrum a Cananaeis receptum stetisse dicit (p. 303 et adn. 1).

[2] Nonnulli viri docti, ut probent stelas nonnunquam ab Israelitis iuxta aram Jahvae positas (cf. Ex 24, 4, ubi Moses duodecim lapidibus secundum numerum tribuum Israelitarum aram ad radices montis Sinai aedificatam circumdedisse dicitur) ad legitimum Jahvae cultum pertinuisse atque symbola Jahvae ipsius fuisse, locum Jes 19, 19 afferunt, ubi propheta praedicit media in Aegypto aram Jahvae (dedicatam), in finibus autem Aegypti stelam Jahvae (dedicatam) fore. At inde minime efficitur apud unamquamque Jahvae in terra Canaan aram stelam eius sacram stetisse. Idem propheta v. 20 dicere pergit: „Erit in signum et testimonium Jahvae (deo) exercituum in Aegypto." Quibus verbis haec praenuntiat: Ut ara ad verum deum colendum media in Aegypto futura sit, ita stelam in finibus Aegypti positam documento fore totam terram Jahven venerari. Sequitur, ut stela illa non fuerit earum rerum, quae ad legitimum Jahvae cultum pertinerent, sed nihil aliud nisi monumentum.

[3.4] *E. König*, Geschichte der alttestamentlichen Religion kritisch dargestellt (Gütersloh 1924) p. 28.

[4] Quam mixtionem ne *M. Buttenwieser* quidem (The prophets of Israel from the eighth to the fifth century, their faith and their message p. 305 s. New York 1914) evitavit.

cium non minus ad mores ac disciplinam Israelitarum propriam pertinere quam regem eiusque magistratum, ut propheta, cum ea omnia repudiet, testetur secundum populi opinionem illa deorum simulacra et lapidem cultus non minus ad venerationem Jahvae pertinere quam sacrificium, manifestum est eum hîc religionem legitimam et popularem non distinguere. Quod *W. W. Baudissin* (Zur Geschichte der alttestamentlichen Religion in ihrer universalen Bedeutung p. 22 Berlin 1914) ad progressum religionis veteris testamenti praeter alias res ingenium Israelitarum pertinuisse dicit, religionem legitimam a religione populari non disiunxit, nam ingenium Israelitarum a religione populari elucet.[1] *J. Meinhold* (Einführung in das AT. Geschichte, Literatur und Religion Israels p. 150. Gießen 1919) Ahaz, regem maxime impium, excusans, quod scriptor biblicus de eo memoriae prodit, non defectionem a Jahve existimandum esse putat, quippe cum religio popularis praeter cultum Jahvae cultum quoque „dei peregrini" passa sit. Confundit igitur religionem legitimam cum religione populari, quae nihil aliud est nisi negatio religionis legitimae. *Frd. Delitzsch* (Die große Täuschung. Kritische Betrachtungen zu den alttestamentlichen Berichten über Israels Eindringen in Kanaan, die Gottesoffenbarung vom Sinai und die Wirksamkeit der Propheten I, p. 73 s. Stuttgart-Berlin 1920) gentem a deo dilectam, id quod multi loci veteris testamenti testentur, de Jahve nihil scire voluisse, sed ab eo usque ad exsilium pertinaciter se avertisse dicit. Neque negari potest gentem Israeliticam pertinacem fuisse neque de Jahve quidquam scire voluisse et cultibus peregrinis se dedisse. At quaeritur, quonam modo duces gentis a deo constituti se gesserint? Retinueruntne religionem Jahvae? Soline eam retinuerunt? Nonne omnibus temporibus milia Israelitarum fuerunt, qui non peregrinis diis servirent? Id est exemplum, e quo Frd. Delitzsch religionem legitimam cum religione populari confundere apparet.[2]

1. Atque „religio legitima" Israelitarum erat religio ab Abraham ceterisque patriarchis accepta et in revelatione divina posita (Ex 3, 6; 6, 2 s.) i. e. opinio Jahvae, unius veri dei, qui gentem Israeliticam e servitute Aegyptia eripuit ereptamque suam gentem elegit, qui se ei per Mosen in monte Sinai aperuit, cum ea foedus iniit, ei praecepta quaedam ad cultum et mores pertinentia dedit terramque Canaan donavit;[3] qui idem non modo alius est atque ceteri dii, potentior et sapientior, melior ac iustior, sed etiam unus deus, sanctus mundi deus, qui in caelis habitat, omnia in terra providens et animadvertens atque non solum suae gentis, sed etiam ceterarum gentium res gubernans, qui maxima quoque regna contundere potest, cui olim omnes servient; idem deus uniuscuiusque

[1] *E. König*, Geschichte der alttestamentlichen Religion [3-4] p. 629.

[2] *H. Winckler* (Religionsgeschichtlicher und geschichtlicher Orient. Leipzig 1906) ut recte religionem veteris testamenti et religionem popularem Israelitarum discernit (p. 25. al.), ita falso se aliquid novi proferre putat, quoniam iam diu ante eum alii idem fecerunt.

[3] Quare genti Israeliticae cognomen honorificum *Jeschurun* (a *jâschar* = rectus fuit) est, i. e. populus a deo ad iustitiam et sanctitatem adductus ideoque ab eo dilectus.

hominis, a quo obsequium in leges suas, bonos mores et amorem, cor contritum et humiliatum postulat, severus iudex impiorum, misericors pater piorum.

Quam veram religionem Jahvae semper multi ex gente Israelitica toto animo amplexi sunt; neque unquam defuerunt, qui deos falsos aspernabantur. Ex Jer 2, 28 (= 11, 13); 7,24 s; 8, 7. Ez 20, 13. Hos 9, 10 locisque similibus colligi non potest universam gentem Israeliticam, sed tantum magnam eius partem a Jahve defecisse et falsis diis servisse. Etiam quo tempore non plus quam „septem milia virorum" in gente Israelitica erant,[1] qui nondum genua ante deum Baʿal flexerant et quorum os manum eius nondum osculatum erat (1 Rg 19, 18),[2] haec religio tamen haud aliter vera religio Israelitarum erat atque aetate exsilii Babylonii, qua eius cultus a paucis in domo privata prophetae exercebatur (Ez 8, 1; 14, 1; 20, 1).

Veram religionem Jahvae primus *E. König* (Hauptprobleme der altisraelitischen Religionsgeschichte p. 12 ss. Leipzig 1884) „religionem legitimam" Israelitarum appellavit. *A. Jeremias* (Der Einfluß Babyloniens auf das Verständnis des AT p. 20 [Biblische Zeit- und Streitfragen IV, 2] Gr. Lichterfelde-Berlin 1908) eam religionem verbis „religionis idealis" significat. Quod parum convenit. Nam de ea religione, quae legitime ac iure exercetur, agitur; verbis autem „religionis idealis" facile complures falsae notiones adiunguntur.[3] *R. Kittel* (Geschichte des Volkes Israel II[6], p. 65. 201—204. 314—317) religionem a Mose et veris prophetis praedicatam cum „traditionem Mosaicam" tum „religionem sublimiorem" nominat. Quae significationes rectius vitantur, propterea quod iis non inest omnes Israelitas eam religionem exercere itaque fidem erga Jahven praestare debere. Hoc autem est id, quod omnes prophetae (item scriptores rerum veteris testamenti cum iis consentientes) etiam atque etiam postulabant. Quare Israelitas, quotiens ab ea religione se averterant, acriter vituperabant.[4] *N. Peters* (Die Religion des AT in ihrer Einzigartigkeit unter den Religionen des alten Orients[3] p. 5) „religionem veteris testamenti" a „religione Israelitica" distinguit; illam etiam „publicam religionem Jahvae", hanc „religionem popularem" nominat. Quae significationes parum accuratae sunt.

---

[1] Illa „septem milia virorum" sunt numerus summatim comprehensus, quo manus piorum pro universo populo parva, sed ipsa per se satis magna, quam sibi Jahve in regno Juda in vera religione servavit, significatur. Numerus „septem" est significatio operum dei, ut verbis „septem milia" *„reliquiae* (populi) *secundum electionem gratiae* (Rom 11, 5) a deo in vera religione servatae significentur.

[2] Idola osculari dicuntur, qui ea adorant, quod etiam osculis manu iactis fiebat. Conferas Hos 13, 2. Job 31, 27 et osculationem lapidis illius nigri in angulo templi Meccani (*Qaʿaba*) positi.

[3] *E. König,* Geschichte der alttestamentlichen Religion [3-4] p. 26 (adn. 2).

[4] Ita *E. König,* ib. p. 26. *R. Kittel* in tertia editione libri „Geschichte des Volkes Israel" II (Gotha 1917) p. 300 se, quae E. König in contrariam partem attulerit, probare non posse dicit.

2. Verba „religio popularis" a viris doctis, qui recentiore aetate in religione investiganda versantur, vario sensu usurpantur.[1] Atque nonnulli iis eam religionem significant, quam *certus quidam populus* profitetur, religionem popularem igitur „religioni mundi" opponunt. Quo modo omnes religiones antiquitatis religiones populares fuerunt.

Velut *B. Stade* (Biblische Theologie des AT I, p. 35) dicit religionem Israelitarum ab origine religionem popularem fuisse, quippe quae ab *una* gente exercitata sit eiusque insigne gentile fuerit. Religionem igitur popularem eam religionem intellegit, quam *una* gens profiteatur, ut eius propria sit. Eum intellectum *A. Kuenen* quoque (Volksreligion und Weltreligion. Berlin 1883)[2] et *E. Kautzsch* (Religion of Israel [in *J. Hastings*, A dictionary of the Bible. Extra volume, p. 684 a .706 a. Edinburgh 1904], Biblische Theologie des AT p. 229. 298. Tübingen 1911) illis verbis attribuunt. Quod *W. Caspari* (Die Gottesgemeinde am Sinai und das nachmalige Volk Israel p. 85. Gütersloh 1922) religionem antiquorum Israelitarum cum religionibus mundi comparatam haud dubie religionem popularem appellari posse dicit, quod terminis et terrae et linguae circumscripta fuerit, promissionem divinam Abraham datam non respexit: „In te benedicentur omnes gentes terrae" (Gn 12, 3; 18, 18; 22, 18); nam inde manifestum est religionem vocatione Abraham conditam ad universos homines spectasse. Quare ea religio non ita religio popularis appellari potest, ut unius gentis religio fuerit.

Alii religionem popularem ita accipiunt, ut sit summa earum opinionum ad religionem pertinentium eorumque rituum sacrorum, quae *universi populi* propria est, religionem popularem igitur religioni singulorum hominum, „individualismo", quem vocant, opponunt.

Velut *G. Wildeboer* (Jahvedienst und Volksreligion in Israel in ihrem gegenseitigen Verhältnis p. 37. Freiburg i. Br. 1899)[3] religioni nationis religionem singulorum hominum sive „individualismum" opponit, quem cum aliis multis viris doctis recentioris aetatis „exeunte saeculo septimo, tum cum Deuteronomium scriptum est atque Jeremia et Ezechiel prophetae fuerunt", exstitisse putat. At iam praecepta decalogi non modo ad universam gentem Israelitarum,

---

[1] *E. König*, Volksreligion überhaupt und speziell bei den Hebräern (in „Archiv für Religionswissenschaft" XVII, 1914, p. 35 s.).

[2] Fünf Hibbert-Vorlesungen. Vom Verfasser autorisierte und durchgesehene deutsche Ausgabe (libri, qui inscriptus est: Volksgodsdienst en Wereldgodsdienst. Leiden 1882).

[3] Quam editionem Germanicam libri, qui inscriptus est: Jahvedienst en Volksreligie in Israel (Groningen 1898), invenies in „Sammlung gemeinverständlicher Schriften aus dem Gebiet der Theologie und Religionsgeschichte." Editionem Francogallicam videas in „Revue de théologie et de philosophie", vol. 32. Paris 1899.

sed etiam ad unumquemque eorum pertinent. Nam etsi deus in monte Sinai foedus cum gente Israelitarum icit, tamen gens summa hominum singulorum intellegenda est. Quod vel inde perspicimus, quod vocabulum illud „tu" praeceptorum decalogi ad singulos Israelitas pertinet[1] et cultus divinus non modo ab universa gente, sed (omnibus temporibus, etiam iam ante Mosen) ex parte a singulis quoque exercebatur.[2]

Plerumque autem verba „religio popularis" ita usurpantur, ut iis eae opiniones religionis eaeque caerimoniae sacrae significentur, quae *ex ingenio populi rudis* proficiscuntur. Ita religioni populari religio singulorum hominum sublimiore ingenio praeditorum contraria est, qui in religione populum universum superant.

Velut *A. Dieterich* (Mutter Erde. Ein Versuch über Volksreligion. Ed. III. procuravit *E. Fehrle*. Leipzig 1925) dicit, qui fundamenta religionis perspicere vult, ei investigandum esse, quales fuerint opiniones ac mores gentis (multitudinis rudis) tum, cum eius religio vi cultus atque humanitatis extrinsecus illatâ nondum ita commutata est, ut fidem, quam ad id tempus amplexa erat, excederet.

Multi critici recentioris aetatis eam religionem, quam Israelitae professi sunt, antequam „prophetae scribentes" exstiterunt, i. e. ex Amos aetate, religionem popularem appellant, quae ab illis prophetis impugnabatur. At iam illis temporibus in gente Israelitica duas religiones, quae inter se discrepabant, inveniri ex sacris litteris apparet. Quarum una ea religio est, quam religionem popularem appellare possumus, altera ea, quam Moses instituit atque omnes Israelitae Jahvae fidem servantes profitebantur.

Nos religionem popularem Israelitarum *summam earum opinionum et consuetudinum ad religionem et mores pertinentium, quae in libris sacris veteris testamenti repudiantur*, intellegimus. Haec autem respicienda sunt: Quod religio non legitima Israelitarum religio popularis nominatur, id non ita intellegendum est, ut solum vulgus rude ei deditum fuerit;[3] immo vero saepe homines nobilissimi (velut

---

[1] Ut unusquisque ex milibus eorum, qui simul effigiem quandam hominis ad exemplum expressam spectant, eius oculos in se conversos esse sentit, ita unusquisque Israelita se ipsum a deo appellari sentiebat (*M. Güdemann*, Das Judentum in seinen Grundzügen und nach seinen geschichtlichen Grundlagen p. 33. Wien 1902).

[2] Ceterum videas *E. Sellin*, Jahwes Verhältnis zum israelitischen Volk und Individuum nach altisraelitischer Vorstellung (Beiträge zur israelitischen und jüdischen Religionsgeschichte I) Leipzig 1896. *E. König*, Geschichte der alttestamentlichen Religion [3.4] p. 216. 426—431.

[3] Velut *R. Kittel* (Judenfeindschaft oder Gotteslästerung? Leipzig 1914) religionem popularem vel „multitudini" (p. 31) vel „homini e plebe" (p. 33) vel „animis minus sublimibus atque vulgo" (p. 35) attribuit.

complures reges regni Juda omnesque reges regni Israel) ei faverunt. Atque si verba examines, ea religio prorsus falso religio popularis nominatur, propterea quod eo nomine vera natura eius religionis non describitur. Quae in eo posita est, quod qui eam profitentur, a patrum religione defecerunt atque in Jahven ingrati sunt, quoniam illa religio in sacris litteris contumacia parcendi voci Jahvae (Ex 19, 5. al.), oblivio foederis cum Jahve initi (Dt 6, 12. al.), contemptio et despicientia Jahvae (Dt 32, 15), perfidia in Jahven (ib. v. 20 d), defectio a Jahve (Jes 1, 2 b. 4 b. al.) esse dicitur. Quare pro religione populari rectius de *religione non legitima* dicendum est, qua se obligatos esse etiam ii agnoscebant, qui eam occulte violabant, velut rex Saul, qui noctu ad mulierem pythonissam in urbe Endor habitantem furtive iit. Nihilo minus ex consuetudine vulgata de *religione populari* Israelitarum loquimur.[1]

Quando verba „religio popularis" in usum venire coeperint, reperiri non potest. *F. M. Müller* (Ursprung und Entwicklung der Religion mit besonderer Rücksicht auf die Religionen des alten Indiens p. 8. Straßburg 1880) ille quidem de iis, quae multitudo in religione vera esse putat, loquitur, sed ea non verbis „religio popularis" significat. *F. Justi* (Geschichte des alten Persiens p. 69 s. Berlin 1879) negat religione Zoroastri inductâ religionem Persarum incolarumque terrarum ad occidentem spectantium in Zoroastri religionem commutatam esse[2] et saepius de Iraniorum religione naturali dicit, quibus verbis id describit, quod nunc religio popularis nominatur, sed verbis „religio popularis" non utitur. Contra in Graecorum religione exquirenda haec verba iam diu usitata sunt et *J. Fritz* (Aus antiker Weltanschauung. Die Entwicklung des jüdischen und griechischen Volkes zum Monotheismus, nach den neuesten Forschungen dargestellt. Hagen 1886) de religione populari Graecorum fuse egit. Atque quantum religio popularis valuerit, ut Graeci ingenii incrementa caperent, inde perspicimus, quod vel summi poetae, ut Homerus et Hesiodus, diligentissime eam excoluerunt, ita ut Herodotus

[1] Conferas *F. Meffert*, Israel und der alte Orient (Apologetische Vorträge III. M. Gladbach 1921) p. 8. *E. König*, Theologie des AT [3-4] p. 22.

[2] Ad religionem popularem antiquorum Persarum *Mithra* quoque deus solis pertinuit. Qui iam tum colebatur, cum maiores Persarum cum maioribus Indorum coniuncti erant; nam hymnis librorum sacrorum Indorum (Vêda) aeque atque hymnis librorum sacrorum Persarum (Avesta) celebratur (cf. *Th. Kluge*, Der Mithrakult. Seine Anfänge, Entwicklungsgeschichte und seine Denkmäler [Der alte Orient XII. 3] Leipzig 1911). Atque ex textibus cuneiformibus in Boghazköj inventis cognoscimus etiam Hethaeos Mithra, Varuna, Indra coluisse; nam memorantur *ilâni mitra-aššil*, *ilâni uruwna-aššil*, var. *aruna-aššil*, *ilu indar*, var. *indara* (cf. *F. Böhl*, Kanaanäer und Hebräer. Untersuchungen zur Vorgeschichte des Volkstums und der Religion Israels auf dem Boden Kanaans p. 16. Leipzig 1911), ut quod recentiore aetate saepius dictum est, Mithra et Varuna unâ cum quinque Aditja (diis) esse deos septem siderum (solem, lunam, quinque stellas eosdem cursus constantissime servantes) ex Babyloniis receptos esse iam defendi non possit. Item ad religionem popularem antiquorum Persarum *Anâhita* pertinuit, quae secundum Avesta nihil aliud est nisi aqua caelestis divinâ specie induta, ex Ahura-mazdâ (Auramazdâ, Ormuzd) defluens.

(Hist. 2, 53) iure dixerit illos Graecis deos creasse, diis nomina atque suos honores (τιμάς) et artes (τέχνας) attribuisse, eorum formas (εἴδεα) descripsisse. Sculptorum quoque pictorumque ingenia religione populari ad opera facienda incensa sunt.[1] Quamquam eius dominatio animorum brevi ex parte aliqua periit; nam iam mature exstiterunt, qui se a fabulis religionis popularis ad mysteria averterent. Postea philosophi polytheismum religionis popularis impugnaverunt. Quantum scimus, primus *Xenophanes* (ex nonnullorum opinione 590—471 a. Ch. n.) indignatus et questus est, cum quod homines deos sui similes esse putarent, tum quod religio popularis diis turpia facinora attribueret, et contendit *unum* esse deum eumque neque formâ neque ingenio hominum similem esse. Quod autem interdum rursus de diis loquitur, populari sermone uti existimandus est.[2] Xenophanem postea non solum Anaxagoras, Socrates, Plato, aliique philosophi secuti sunt, sed etiam poetae, ut Pindarus et Euripides, fabulas de diis in dubitationem vocaverunt, quod a notione dei, quem omnibus virtute ac moribus praestare necesse esset, abhorrerent.

In historia religionis Israelitarum tractanda significatio „religio popularis" proximis demum decenniis usurpari coepta est, quamquam iam 2 Rg 18, 4 de cultu a populo exercitato agitur (cf. Jes 42, 19; 43, 8, ubi propheta de „caeco et surdo servo Jahvae" dicit, qui secundum 41, 8 haud dubie populus Israeliticus intellegendus est). Atque primus *B. Duhm* (Die Theologie der Propheten als Grundlage für die innere Entwicklungsgeschichte der israelitischen Religion dargestellt p. 3. Bonn 1875) ea significatione usus est, ut religionem a parte Israelitarum modo maiore modo minore exercitatam et quae a vera religione Jahvae abhorreat, appellet. In eo autem errat, quod populum tantum vulgus, ubi magna inscitia et credulitas invenitur, intellegit. Item (p. 6) falso dicit religionem popularem supranaturalistis nullius esse momenti neque ab iis exquiri. Immo vero opiniones, in quibus religio popularis Israelitarum consistit, ad eos quoque viros doctos, qui veram religionem Jahvae via naturali atque evolutione ortam esse negant, et vehementer pertinent et ab iis exquiruntur. In operibus de theo-

---

[1] *O. Gruppe*, Griechische Mythologie und Religionsgeschichte § 259 (in *J. v. Müller*, Handbuch der klassischen Altertums-Wissenschaft in systematischer Darstellung V, 2. München 1906) tres periodos historiae religionis Graecorum discernit: primâ (cum cultus Creticus et Euboeo-Boeoticus florebat) opinionem daemonum fetischismo cognatam reperimus; alterâ, quae usque ad diadochorum aetatem pertinet, *dii ita cogitantur, ut iis nihil perfectius sit, ad quam cogitationem simulacra deorum ab artificibus, quorum in mente eximia quaedam pulchritudinis species insidebat, ficta multum contulerunt*; tertiâ religionem paulatim in peius declinasse constat.

[2] Xenophanes, auctor sectae Eleaticae, e Colophon, una ex duodecim urbibus Jonicis foederatis, cuius ruinae prope vicum Chilli vel Zille sitae sunt, oriundus erat. Aristoteles, Theophrastus, Simplicius ei plane doctrinam „τοῦ ἓν εἶναι τὸν θεόν" attribuunt. *J. Freudenthal* (Über die Theologie des Xenophanes. Breslau 1886) demonstrare studebat Xenophanem, quamquam religioni populari Graecorum repugnabat, tamen multos deos esse non negasse, sed praeter summum deum alios multos deos, qui illi pareant, esse credidisse (cf. etiam *C. F. Tiele—N. Söderblom*, Kompendium der Religionsgeschichte[4] p. 442. Berlin 1912). Contra id praeter alios *E. Zeller* (Deutsche Literaturzeitung 1886, nr 45) scripsit. Secundum *N. Mavrokordatos* (Der Monotheismus des Xenophanes. Diss. Leipzig 1910) Xenophanes monotheista esse volebat, sed inter monotheismum et polytheismum fluctuans pantheismum confitebatur.

logia veteris testamenti a *P. Scholz*,[1] *G. F. Oehler*,[2] *E. Riehm*,[3] *F. Hitzig*,[4] *H. Schultz*,[5] *R. Smend*,[6] *M. Hetzenauer*[7] aliisque editis de religione populari sermo non est. Alii autem viri docti nostrae aetatis in libris suis de historia religionis Israelitarum etiam religionem popularem tractaverunt, velut *J. Wellhausen*, *A. Kuenen*, *G. Wildeboer*, *B. Stade*, *C. H. Cornill*, *K. Marti*, *E. Kautzsch*, *R. Kittel*, *E. Meyer*, *A. Jeremias*, *E. König*, *F. Hommel*, *J. Meinhold*, *A. Jirku*, *E. Sellin*, *A. Šanda*, alii.[8]

Atque religio popularis, cui saepius maior pars gentis Israeliticae dedita erat,[9] praeter Jahven alios quoque deos, potissimum Cananaeorum, venerabatur neque solum in iis colendis, sed etiam in Jahve venerando alienis formis cultus utebatur. Nam cum expolitus cultus profanus Cananaeorum apud multos Israelitas magna esset auctoritate, hi pellecti sunt, ut eorum cultui divino interessent. Praeterea multi Israelitae opinione illa Baʿal et Astarten ut deos praesides terrae Canaan fecunditatem eius terrae efficere permoti esse videntur, ut ipsi quoque ea numina sacris sibi conciliarent. At vera religio Jahvae religione Cananaeorum mutata non est, sed tantum religiones utriusque gentis coniunctae sunt, quae coniunctio minime religio legitima, sed tantum religio popularis Israelitarum existimari potest. Quod iam e carmine Debora prophetissae (Jdc c. 5) perspicimus, nam ibi Jahve haud minus quam quater decies nominatur et invocatur idque ita, ut sine dubio solus dominus et deus Israelitarum existimetur. Ei Debora carmen cantat (v. 3), eum ut praedicent, omnes cohortatur, qui eam, ut cum Cananaeis pugnarent, secuti sunt (v. 9). Ei pugnae interesse nihil aliud est nisi Jahvae auxilio venire (v. 23); nam Israelitarum inimici sunt

---

[1] Handbuch der Theologie des alten Bundes im Lichte des neuen. 2 partt. Regensburg 1861.

[2] Theologie des AT[3]. Herausgegeben von *Th. Oehler*. Stuttgart 1891.

[3] Alttestamentliche Theologie. Herausgegeben von *K. Pahncke*. Halle 1889.

[4] Vorlesungen über biblische Theologie und messianische Weissagungen des AT. Herausgegeben von *J. J. Kneucker*. Karlsruhe 1880.

[5] Alttestamentliche Theologie. Die Offenbarungsreligion auf ihrer vorchristlichen Entwicklungsstufe.[4] Göttingen 1889 (ed. min. 1896).

[6] Lehrbuch der alttestamentlichen Religionsgeschichte.[2] Freiburg-Leipzig 1899.

[7] Theologia biblica sive scientia historiae et religionis utriusque testamenti catholica. Vetus testamentum. Friburgi Brisgoviae 1908.

[8] *E. König* in „Archiv für Religionswissenschaft" XVII, 1914, p. 36—42.

[9] Religioni populari imprimis feminas deditas fuisse ex locis Gn 31, 34 (Rahel), Ex 22, 17 (incantatrix), 1 Sm 19, 13 (Mikal), 1 Sm 28, 7 (mulier habens pythonem) demonstrari non potest, idque eo minus, quod ipsae feminae inter eos, qui verae religioni Jahvae dediti erant, saepe maxime excellebant (Ex 15, 20; Jdc 4, 4; 1 Sm 4, 21. al.). Ita *E. König*, Geschichte der alttestamentlichen Religion [3.4] p. 45.

Jahvae inimici (v. 31) ideoque incolis urbis Meroz a Jahve maledicitur, „quod non venerunt ad auxilium Jahvae" (i. e. quod exercitui populi, qui Jahven colit, opem non tulerunt), „ad auxilium eius cum fortibus" (i. e. militibus, qui pro libertate pugnaverunt) (v. 23). Contra Israelitae populus Jahvae sunt (v. 11), qui Jahven diligit (v. 31), et Jahve est deus Israelitarum (v. 3. 5), qui populo suo succurrit eiusque hostes tempestatibus terribilibus perterret (v. 4 s.). Quare Israelitae iam tum, cum id carmen exortum est, „iustitias Jahvae celebrare" soliti sunt (v. 11). Praeterea idem inde cognoscimus, quod Gideon aram deo Baʿal in urbe Ophra erectam delevit, quam ob rem nomine honorifico Jerub-baʿal (= quocum Baʿal litigat) appellatus est (Jdc 6, 24—32).[1] Ut autem Gideon, ita alii multi Israelitae religionem patriam tenuerunt. Item sacrarium Jahvae in urbe Silo permansit (Jos. 18, 1; Jdc 18, 31; 21, 19; 1 Sm 1, 3) et verba: „Fecerunt Israelitae malum in oculis Jahvae et coluerunt Baalim et dereliquerunt Jahven" (Jdc 2, 11 s; 3, 7; 6, 1; 10, 6) non minus locutio hyperbolica habenda sunt quam verba „sub *omni* arbore frondosa" (Dt 12, 2; 1 Rg 14, 23; 2 Rg 16, 4; 17, 10; Jes 57, 5; Jer 2, 20; 3, 6. 13; Ez 6, 13; 2 Chr 28, 4).[2] Falsa igitur est illa opinio etiam nunc a multis prolata religionem Jahvae cum religione Cananaeorum mixtam eandem fuisse ac religionem, quam universa gens Israelitica professa sit, antequam ii prophetae, qui scripta reliquerunt, exstiterint. Immo vero illa religio tantum religio popularis Israelitarum existimanda est.[3] Colonos quoque post annum 722 a regibus Assyriorum in regiones regni decem tribuum missos Jahvae cultum cum cultu aliorum deorum coniunxisse 2 Rg. 17, 29—41 plane dicitur. Ut religione populari cultus Jahvae prorsus excluderetur, nisi aetate regum Manasse (693—639) et Amon (639—638) non accidisse videtur. Manasse „omnem exercitum caeli"[4] adorasse, ei in duobus atriis templi Jahvae aras exstruxisse, etiam alienis diis in templo Jahvae aras aedificasse dicitur (2 Rg 21, 3—5. 7), cum Jahven

---

[1] Conferas etiam clamorem bellicum: „Pro Jahve et Gideon!" sc. pugnaturi sumus (Jdc 7, 18).

[2] Quod *A. Kuenen* quoque (Volksreligion und Weltreligion p. 70) comprobavit.

[3] *R. Kittel*, Geschichte des Volkes Israel II,[6] p. 64.

[4] „Exercitus caeli" sol, luna, planetae, quibus in Babylonia cum alia sacraria tum magnum templum Borsippae (Birs-Nimrûd) dicatum erat, sed etiam spiritus et mali et boni, qui cum sideribus coniungebantur et ritibus superstitiosis colebantur, intellegendi sunt.

ab eo cultum esse omnino memoriae non prodatur. Atque cum scriptor biblicus plane dicat id templum re vera „nomini Jahvae" consecratum esse (v. 4 et 7),[1] iis, qui regem Manasse cultum Jahvae cum cultu aliorum deorum coniunxisse putant,[2] adstipulari non possumus. Idem ex eo colligi potest, quod „sanguinem innocentem fudisse" dicitur (v. 16), quibus verbis eius persecutiones prophetarum aliorumque cultorum Jahvae significari videntur.[3] Amon rursus „ambulavit in omni via, in qua ambulavit pater eius (Manasse), colens idola, quae et pater eius coluerat et adoraverat" (v. 21). Neque quod Amon Josia filio nomen cum Jahve compositum dedit, idcirco contrarium efficitur, quoniam nomina haud raro ex consuetudine indebantur.[4] Quod rex Ahab (873—854) Samariae sacrarium Baʿal erexisse dicitur (1 Rg 16, 32. cf. 2 Rg 10, 18—27), forsitan existimes eum sacrarium Jahvae in sacrarium Baʿal commutasse. Cum autem cultum Jahvae tum omnino abolitum esse demonstrari non possit, in domo regia sacrarium Baʿal erectum esse verisimilius est. Neque vero Ahab ipsum cultum Jahvae retinuisse inde colligi potest, quod liberis suis nomina cum Jahve, non cum Baʿal composita (Ahazja, Jehoram, Athalja) indidit,[5] idque ex causa supra allata. Quod autem dictum est Ahab Jahvae cultorem permansisse ex usu, qui ei cum prophetis Jahvae erat (1 Rg c. 22), apparere,[6] veri prophetae Jahvae cum iis, qui falso nomine Jahvae se vaticinari affirmabant, confun-

[1] Conferas Jer 7, 30, ubi Judaei „sua abominanda" i. e. idola in domo, quae de Jahvae nomine vocatur (quae Jahvae sacra est), posuisse dicuntur, ut eam polluerent (videas etiam 13, 27).

[2] Velut *R. Kittel* (Geschichte des Volkes Israel [6] II, p. 391. adn. 4) arbitratur, etsi non plane dicatur regem Manasse praeter deos alienos Jahven quoque coluisse, id tamen existimari posse; nam tum haud aliter res fuisse videri atque apud Zeph 1, 5b. Ez 23, 38 s. et ut saepe temporibus prophetarum Amos et Hosea. Idem sentiunt *E. Kautzsch* (Biblische Theologie des AT p. 279), *J. Meinhold* (Einführung in das AT p. 155), alii.

[3] Josephus Ant. Jud. 10, 3. 1 plane dicit regem Manasse etiam prophetas occidisse (cf. Jer 2, 30: „Voravit gladius vester prophetas vestros", id quod et Nehemia 9, 26 Judaeis exprobrat). Atque antiqua est Judaeorum traditio, quae epistulâ ad Hebraeos (11, 37) confirmari videtur, aetate eius regis Jesaia quoque serrâ ligneâ dissectum martyrio vitam suam cumulasse. Conferas *R. Cornely*, Introduct. in UT libros sacros II, 2 (Parisiis 1887) p. 310 s.

[4] Ii quoque, qui „reginam caeli" (*meleketh ha-schâmajim*) colebant, Jer. 44, 15—19 non ita loquuntur, ut eius cultum cum cultu Jahvae coniunxisse existimandi sint.

[5] *B. Stade*: Biblische Theologie des AT I, p. 70. *G. Hölscher*, Die Propheten. Untersuchungen zur Religionsgeschichte Israels (Leipzig 1914) p. 176. *J. Meinhold*, Einführung in das AT p. 118. *R. Kittel*, Geschichte des Volkes Israel II[6], p. 243.

[6] *B. Stade, J. Meinhold, R. Kittel* locis allatis.

duntur. Neque Jehoram (849—842) et Ahazja (842) regnantibus, quamvis idololatriae se dedissent (2 Rg 8, 18 = 2 Chr 21, 6; 2 Rg 8, 27 = 2 Chr 22, 3 s.), legitimus Jahvae in templo cultus impeditus est, cum Jojada pontifex ei praeesset. Neque ne Ahaz quidem, rex maxime impius (736—721), quamvis templum vehementer vastasset et cultus peregrinos introduxisset (2 Rg 16, 1—20 = 2 Chr 28, 1—27. 2 Rg 23, 12),[1] cultum Jahvae omnino tollere ausus est, sed tantum altare holocaustorum aeneum amoveri et aliud, cuius formam Damasci viderat, erigi iussit, ubi populus sacra faceret.[2] Cultum autem fictorum deorum cum cultu Jahvae coniunctum esse ex Zeph 1, 5 cognoscimus, ubi Israelitae in tectis, quae pro more orientalium plana erant, „exercitui caeli" sacra facere simulque coram Jahve se prosternere eique sollemni fidei ac oboedientiae promissione se devovere, sed etiam cultui Moloch addicti per idolum iurare dicuntur: „Et (auferam) adorantes super tectis exercitum caeli et adorantes et iurantes Jahvae (et simul) iurantes per Malkom." Cultus Jahvae cum fictorum deorum cultu commixtus Ez 23, 38 s. quoque significatur, ubi memoriae proditur Israelitas, quo die filios suos idolis mactaverunt, eodem templum Jahvae adisse, ut illud profanarent: „Contaminaverunt sanctuarium meum die illo et sabbata mea profanaverunt . . . Et ecce! sic fecerunt in medio domus meae." Conferas etiam 1 Rg 18, 21, ubi Elia Israelitis exprobrat: „Quousque in utrumque crus claudicatis? Si Jahve est deus, hunc sequimini; si vero Baʿal (est deus), hunc sequimini." [3]

A. Jeremias (Das AT im Lichte des alten Orients[3] p. 648. Leipzig 1916) duo genera religionis popularis discernit: a) religionem popularem, quae erat „cultus Jahvae ritibus ethnicis permixtus" atque iis locis exercitatus, ubi antiquissimis historiae Israelitarum temporibus sedes cultus erant; b) religionem popularem „simpliciter ethnicam", quae in ritibus superstitiosis vel iis cultus formis, quae religionum ethnicarum propriae sunt, versabatur. At illud prius genus religionis

---

[1] Quod 2 Rg 23, 12 Ahaz aras „in tectis" erexisse dicitur, cultus siderum significatur (cf. Jer. 19, 13; 32, 29; Zeph 1, 5).

[2] Quod 2 Chr 29, 7 dicitur eius aetate „holocausta in sanctuario deo Israel oblata non esse", iis verbis non significatur omnia sacra fieri desita esse, sed tantum negatur Jahvae holocausta oblata esse, cum Chronista ea sacra, quae in altari holocaustorum modo gentilium exstructo fiebant, Jahvae oblata esse non agnoscat.

[3] Opinio Hos 2, 18 (Vulg. 16) de cultu Jahvae cum cultu Baʿal confuso agi, cum propheta dicat populum iam non, ut ad id tempus, cultum Baʿal cum cultu Jahvae sociaturum, ita ut Jahve in posterum iam non Baʿal appelletur, probari non potest. Nam si vera esset, *'êlî* pro *'îschî* legendum esset: „Vocabit me *'êlî* (deus meus), non vocabit me amplius *Baʿalî*".

popularis immerito constituitur, cum Israelitae Jahven compluribus cultus sedibus venerari prioribus saeculis vetiti non essent, id quod ex Ex 20, 24—26; 1 Sm 9, 12 aliisque locis apparet. Illud posterius genus religionis popularis in vetere testamento cultus alienorum deorum appellatur (Ex 20, 3. al.). — *R. Kittel* (Geschichte des Volkes Israel II[6], p. 55—68) „sublimiorem" et „humiliorem" religionem popularem discernit. Illam post immigrationem in terram Canaan cum veneratione Jahvae cultum eorum numinum coniunxisse, quibus Cananaei se fertilitatem terrae suae debere putabant, atque Jahven tum pro deo montium deum agrorum evasisse. At in ea re prorsus praeteritum est iam secundum antiquissimos libros sacros Jahven et agris (Gn 26, 12; 27, 27s; Dt 7, 13) et pani atque aquae (gentis suae in terra Canaan commorantis) benedicere (Ex 23, 25) eique omnes Israelitas deo fidem servantes sollemnitates messis agere (Ex 23, 16; 34, 22). Etiam secundum Hos 2, 10s. Jahvae potentia et benignitas parum intellegitur, cum gens Israelitica „non agnoscit, quod *ego* (Jahve) dedi ei frumentum et mustum et oleum . . . Quare redibo et auferam frumentum *meum* (quod non a diis, sed a me accepit) tempore suo (i. e. messis) et mustum *meum* tempore suo (i. e. vindemiae)." Apud Ez 16, 19 quoque Jahve querens de cultu aliorum deorum ab Israelitis exercitato dicit: „Et panem *meum*, quam dedi tibi, . . . dedisti (apposuisti) ante eos (deos alios)." Quod autem R. Kittel ad „sublimiorem" religionem popularem interdum etiam turpissima impudicitae peccata pertinuisse contendit, eius rei nulla documenta affert neque afferre potuit. Plerumque autem tales libidines ad „humiliorem" religionem popularem pertinuisse dicit; ei vulgus rude deditum fuisse idemque daemonibus (quos aut libere circumvagari aut in arboribus, fontibus, lapidibus, aliis rebus habitare opinabatur) honores divinos tribuisse atque etiam cultui mortuorum indulsisse, nam epulas funebres severe prohibitas fuisse, unde eas crebro apparatas esse appareat. At eius modi demonstratione utendum non est, propterea quod eâ ponitur tantum eas religionis opiniones et consuetudines lege veteris testamenti prohibitas esse posse, quae in gente Israelitica re vera exstiterant. At legislatores veteris testamenti nonne populares monuisse possunt, ut opiniones quasdam et consuetudines religionis caverent, antequam a gente Israelitica reciperentur? Maximi autem momenti est hoc, quod illius distinctionis inter „sublimiorem" et „humiliorem" religionem popularem in sacris litteris nulla datur ansa.[1]

Adnotatio. — Ceterum respiciendum est religionem et legitimam et popularem Israelitarum a condicione imperfecta ad condicionem perfectiorem processisse. Haud raro cultores earum religionis formarum inter se persecuti sunt. Atque in regno Juda imprimis Hizkija (721—693) et Josia (638—609)[2] religionem popularem penitus exstinguere et religionem legitimam instituere conati sunt neque id prorsus assequi potuerunt.

3. „Religio publica", quae vocatur, vel religio regis, sacerdotum ducumque populi non tertia religionis forma praeter eas, quas nominavimus, habenda est. Quae in regno Juda aetate piorum regum eadem fere erat ac religio legitima, aliis temporibus eadem ac religio popularis aut (velut Ahaz, Manasse, Amon regnantibus)

[1] Conferas *E. König*, Die sogenannte Volksreligion Israels p. 14—16.

[2] De anno, quo Josia mortuus est, videas *J. Linder* in „Zeitschrift für katholische Theologie" XLVIII, 1924, p. 456.

peior quam haec. Illi autem reges, qui a religione legitima varie aberraverunt, non eam ipsam, sed tantum pietatem populi mutare potuerunt. In regno Israel religio publica nunquam eadem erat ac religio legitima, sed semper plus minusve eadem ac religio popularis, interdum (ut Ahab regnante) peior quam haec. Neminem regem regni Israel cultum a Jerobeam I institutum tollere conatum esse memoriae proditur, nisi quod Jehu quidquid de deo Baʿal admonuerit, delevisse narratur (2 Rg 10, 18—28).[1]

Regem *David* religionem popularem secutum esse eo non demonstratur, quod teraphim in aedibus suis esse patiebatur (1 Sm 19, 13. 16) vel terram Israelitarum pro terra Jahvae habebat (ib. 26, 19) vel filio cuidam nomen cum Baʿal compositum indidit: Beʿeljâdâʿ = Baʿal novit (1 Chr. 14, 7), qui 2 Sm 5, 16 vocatur 'Eljâdâʿ = deus novit. Nam vocabulum Baʿal „dominum" quoque et „maritum" significat, ut etiam ad deum Israelitarum transferri potuerit (cf. nomen Beʿaljâ = Jahve est dominus sive Baʿal 1 Chr. 12, 5), quod Jahve maritus gentis Israeliticae esse existimabatur (Jes 50, 1 al., imprimis Hos 2, 18. Vulg. 16, ubi plane dicitur Jahven ad id tempus ab Israelitis Baʿal appellatum esse). Sed licet David religionem popularem secutus sit, tamen inde non efficitur religionem legitimam eius aetate non fuisse; nam se ipse prophetam esse non existimabat, sed Nathan de voluntate divina consuluit (2 Sm 7, 2s.) atque verbis Nathan et Gad obtemperavit (ib. 12, 5—15; 24, 11—14). Quod Act 2, 30 „propheta" nominatur, id ita explicatur, ut posteriore tempore nomen prophetae aliis quoque viris attributum sit. Velut poetae et musici prophetae nominabantur (1 Chr 25, 1—5; 2 Chr 29, 30). Onkelos ad Ex 35, 31 etiam artifici Bezaleel *nebû'a* attribuit.[2] In Seder olam sutta scriptum legimus: „Haggai et Sacharja et Esra (sunt) prophetae." [3] Esra igitur hîc inter prophetas numeratur. In Seder olam rabba c. 20s. etiam Abigail (1 Sm 25, 3) et Esther prophetissae appellantur. Josephus (Ant. Jud. 13, 10. 7) pontificem Joannem Hyrcanum (135—105) prophetiae dono dignatum esse dicit. Sed bab. Sota 33a pontifici Simoni I (ineunte tertio saeculo) idem donum adscribi[4] non est verum; ibi tantummodo Simonem *Bath qôl* ex sanctissimo audivisse dicitur. Philo (De Cherubim § 9) et Josephus (Bell. Jud. 3, 8. 9; 4, 10. 7) se ipsos inter prophetas numerandos esse iudicaverunt.[5]

Salomo, ut aedificatione templi et scriptis suis religionem et mores populi vehementer adiuvit, ita veniâ, qua uxoribus suis peregrinis permisit, ut diis suis extra Hierosolyma aras erigerent (1 Rg 11, 4—8), animum populi a vera religione alienavit. Quem cultum deorum alienorum ne antiquiorum quidem temporum scriptor biblicus probare poterat, quin eandem infidelitatem in deum patrium quam Salomo ipse admitteret, quoniam etiam scriptores earum partium veteris testamenti, quae vulgo antiquae agnoscuntur, periculum, quod cum cultu alie-

---

[1] Videas *R. Kittel*, Die Religion des Volkes Israel, II[6] p. 309 et adn. 2.
[2] *E. Baß*, Die Merkmale der israelitischen Prophetie nach der traditionellen Auffassung des Talmud (Kuttenberg 1917) p. 26.
[3] Ed. *J. Meyer*, Amstelaedami 1699, p. 108.
[4] *P. Volz*, Der Geist Gottes und die verwandten Erscheinungen im AT und im anschließenden Judentum (Tübingen 1910) p. 135.
[5] *E. König*, Geschichte der alttestamentlichen Religion [3.4] p. 337. 468 s.

norum deorum non prohibito coniunctum erat, tollere studebant (Ex 23, 32 EJ; Ex 34, 12—16 J). Quod contra *E. Kautzsch* (Biblische Theologie des AT p 75.) dicendum est.[1]

In vetere testamento diligenter describitur, quibus gradibus singuli reges a religione legitima discesserint. De nonnullis quidem regibus nihil aliud dicitur nisi eos multis locis deum coli passos esse (1 Rg 15, 14; 22, 44; 2 Rg 12, 4; 14, 4; 15, 4. 35). Ab iis regibus, quos pios appellare possumus,[2] ii discernuntur, qui legem Ex 20, 4s. violaverunt et Jahven imaginibus finxerunt: Jerobeam I et alii (1 Rg 12, 28s; 14, 16; 15, 26. 34; 16, 13. 19. 26; 2 Rg 3, 3; 10, 29; 13, 2; 14, 24; 15, 9. 18. 24. 28. cf. 17, 2). Denique nonnulli reger Israel et Juda legem Ex 20, 3 violasse et aliis diis servisse dicuntus (1 Rg 16, 31s; 18, 18; 21, 26; 2 Rg 1, 3., conferas accuratam distinctionem locis 2 Rg 3, 2s; 8, 27; 10, 28s; 16, 3). Quae cum ita sint, scriptores biblici leges caerimoniales violatas a fundamentis religionis Mosaicae violatis diligenter distinxerunt.

Adnotatio. — Quod *R. Kittel* (Geschichte des Volkes Israel II[6]) eas religionis opiniones, quae a religione prophetica vel legitima abhorrent, in duas religionis formas, „religionem publicam", quam duces populi fatentur (p. 192—196. 308—314), et „religionem popularem", quam multitudo humilis ac rudis amplectitur (p. 58—65. 187—192. 301—308), dividit, id ex sacris litteris comprobari non potest, propterea quod ibi nihil aliud reperitur nisi aut fides erga religionem legitimam aut defectio ab ea, sive haec a regibus, sacerdotibus, ducibus populi sive a vulgo exercebatur. Scriptores biblici tantum varios gradus illius defectionis discernunt neque in ea re respiciunt, num duces populi aut vulgus plus minusve a vera religione Jahvae abhorreant.[3]

Id quoque dictum est in gente Israelitica praeter religionem a Mose conditam per ongum tempus opiniones caerimoniasque prioris cuiusdam religionis permansisse neque impugnatas esse (!). Ita forma religionis effecta est, quae neque legitima neque non legitima fuisse dicitur. At in libris sacris tantummode de legitimis et non legitimis religionis opinionibus caerimoniisque sermo est.[4]

---

[1] *E. König*, ibidem p. 339.

[2] Tres tantum e regni Judaici regibus maiore apud Judaeos fama et laude pietatis cultusque dei exornati et restituti florebant: David, Hizkija, Josia (Sir 49, 4). Ob fidem in Jahven laudantur quidem in litteris sacris etiam Asa (1 Rg 15, 14 s.), Josaphat (ib. 22, 43), Jehoas (2 Rg 12, 3), Amasja (ib. 14, 3), Azarja (ib. 15, 3), Jotham (ib. 15, 34), sed hi multa loca cultui Jahvae dicata (loca excelsa) passi sunt. Josaphat etiam propter amicitiam cum impiis regibus decem tribuum contractam reprehenditur (2 Chr 19, 2; 20, 37). De Hizkija in Mischna (Pesachim 4, 9) scriptum legimus: „Sex res fecit rex Hizkija; de tribus concesserunt illi, at de tribus non concesserunt illi".

[3] Ita *E. König*, Geschichte der alttestamentlichen Religion [3-4] p. 28 s. — *R. Kittel* in tertia editione libri „Geschichte des Volkes Israel" II, p. 300 hoc unum adnotat, quae E. König contra eam divisionem afferat, nihil valere, cum cultus publicus neque religioni populari neque religioni ducum populi prorsus congruat (cf. II[6], p. 193).

[4] Conferas *E. König*, Theologie des Alten Testaments. [3-4] p. 24. adn. 2.

II

A) Quid ad religionem popularem Israelitarum pertineat, ut cognoscamus, nobis respiciendum est, quas opiniones ritusque religionis, mores ac consuetudines ii, qui veram religionem Jahvae sive religionem legitimam acri studio defendebant, impugnaverint. Impugnaverunt autem *divinationem et artem magicam, cultum deorum peregrinorum, venerationem Jahvae sub imagine exercitatam, perversam morum condicionem, victimas humanas, falsam exspectationem meliorum rerum futurarum.* Quas opiniones exercitationesque violationes religionis legitimae habendas esse omnes scriptores veteris testamenti docent. Atque in omnibus legum libris Israelitarum illae non modo impugnantur, sed etiam graves poenae, si qui ita religionem legitimam violaverint, denuntiantur.[1]

Quod *B. Stade* (in „Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft" III 1883, p. 9) praeter prophetas neminem quidquam in cultu populari vituperasse dicit, respiciendum est iam secundum Hos 4, 6 sacerdotes, cum legem doceant, socios prophetarum adversus populum a Jahve deficientem esse. Idem ex amicitiis prophetarum et sacerdotum efficitur (Jes 8, 2s.). Quare ne de iis quidem, quae 2 Rg 12, 3 (Vulg. 2) de Jojada pontifice narrantur, dubitemus oportet.

G. Wildeboer,[2] ut cognoscamus, quid ad religionem popularem pertineat, eos quoque ritus religionis respiciendos esse putat, quos lex Mosaica ut innoxios sanxerit, velut Tephillîn sive phylacteria, Mezûzâ sive membranam posti ianuae affixam, hircum Azazel; nam quae primo in cultu fictorum deorum usitata fuerint, ea in cultum Jahvae recepta esse, cum ita commutata essent, ut innoxia fierent. At primum de iis, quae ad veram religionem Jahvae pertinent, ex sacris litteris solis iudicari potest; deinde si qui ritus religionis innoxius est, inde non apparet eum primo ad veram religionem Jahvae non pertinuisse.[3]

---

[1] Conferas *E. König*, Geschichte der alttestamentlichen Religion [3.4] p. 45—53.
[2] Jahvedienst und Volksreligion in Israel p. 25.

[3] Velut sine causa Tephillîn cum *Ἐφεσίοις γράμμασι* comparati sunt. Nam Tephillîn nihil aliud sunt nisi adminicula ad legis memoriam firmius conservandam, *Ἐφέσια γράμματα* autem schedulae magicis vocabulis inscriptae atque ut amuleta ad avertendos morbos et daemones aliaque mala tollenda corpori alligatae. Specimen talis schedulae Clemens Alexandrinus Strom. 5, 8 exhibet. Conferas *Pauly-Wissowa*, Real-Enzyklopädie der klassicshen Altertumswissenschaft V, 2 (Stuttgart 1905) col. 2271—2273. *A. Deißmann* in „Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft", 33. Beiheft, 1918, p. 121—124.

Praeterea *G. Wildeboer* existimat, quid ad religionem popularem pertineat, ex comparatione opinionum rituumque religionis Israelitarum et ceterarum gentium orientis antiqui, imprimis Semiticarum, exquirendum esse. Neque quisquam vir doctus aetatis nostrae praetermittit, quin similitudines, quae inter religionem Israelitarum et ceteras religiones antiquas intercedunt, et notiones iis subiectas cognoscat.[1] At ex eius modi comparatione similitudines et dissimilitudines quidem earum religionum perspici possunt, sed quid ad veram religionem Jahvae, quid ad religionem popularem Israelitarum pertinuerit, minime cognosci potest. De origine autem earum opinionum rituumque religionis, quae in libris sacris Israelitarum repudiantur, non prius quidquam certi reperire possumus, quam religionem Jahvae ex iis ipsis cognoverimus. Tum demum de origine earum opinionum et caerimoniarum ad religionem pertinentium, quae in libris sacris repudiantur, inquiri potest.

Multi viri docti recentioris aetatis tempus historiae Israelitarum octavum saeculum antecedens tempus „antepropheticum" appellant. Quae appellatio falsa est; nam „prophetae scribentes"[2] non prophetae, qui proprie vocantur, habendi sunt, quoniam a prophetis priorum saeculorum diversi non sunt.[3] Quare id quoque falsum est religionem ab Israelitis ante octavum saeculum exercitatam „antepropheticam", religionem inde ab octavo saeculo exercitatam „propheticam" appellare. Atque *B. Stade* (Biblische Theologie des AT I, p. 24s.) eas quoque posterioris temporis opiniones consuetudinesque ad religionem pertinentes, quae religione „prophetica" inferiores sunt, partes religionis „antepropheticae" esse arbitratus ex scriptis quoque et in exsilio et post exsilium confectis complura repperit, quibus illam describeret. Id propterea probari non potest, quod illae posterioris temporis opiniones consuetudinesque ad religionem pertinentes non priori tempori attribuendae, sed vel defectio a religione „prophetica" vel partes religionis popularis habendae sunt. Quae cum ita sint, B. Stade ne hîc quidem religiones legitimam et popularem Israelitarum discrevit.[4]

[1] Quod *O. Weber* (Theologie und Assyriologie im Streite um Bibel und Babel p. 20. Leipzig 1904) vituperat, quod nonnulli opinantur „cultum atque humanitatem Israelitarum tamquam pone murum Sinensem a ceteris gentibus seiunctum atque intactum fuisse", quaeras, quem iis verbis descripserit. Equidem neminem virum doctum aetatis nostrae novi, in quem illud cadat.

[2] Quod prophetae, qui ab octavo saeculo exstiterunt, recentiore aetate crebro „prophetae scribentes" appellantur, dicendum est illos quidem etiam scripsisse, sed non omnes scripsisse. Atque scribere levioris momenti fuisse Jeremia demonstrat, quippe qui annos viginti quinque vaticinatus sit neque ullum verbum scripserit.

[3] Etiam *R. Kittel* (Geschichte des Volkes Israel II[6], p. 317) universam ante Amos aetatem periodum „antepropheticam" appellandam esse negat, quoniam omnibus temporibus prophetae fuerint; rectius esse simpliciter de „tempore antiquorum Israelitarum" agere, quod id quidem tum, cum prophetae, qui scripta reliquerunt, exstiterint, exitum habuerit.

[4] *E. König*, Geschichte der alttestamentlichen Religion [3-4] p. 30. 187. 348.

1. Cicero (De divinatione 1, 18) dicit rationem hominum in studio rerum futurarum aperiendarum aut in arte positam esse (i. e. in legibus quibusdam, quas maiores de signis quibusdam res futuras significantibus observatione repperisse putent) aut ea arte carere: „Duo genera divinationum esse dixerunt: unum, quod particeps esset artis; alterum, quod arte careret. Est enim ars in iis, qui novas res coniecturâ consequuntur; veteres observatione didicerunt." Priorem illam rationem *divinationem* appellamus; posterior ratio *prophetismi* propria est. Utramque rationem ii Israelitae, qui religioni populari dediti erant, exercebant.

a) Atque omnes ritus, quibus res futurae non per deum Israelitarum, sed per alias vires humanis maiores perspici posse putantur, verae religionis Jahae ratione habitâ ad d i v i n a t i o n e m pertinent. Ad voluntatem divinam explorandam nihil aliud adhibere per legem licebat nisi sortem sacram sive Urim et Tummim. At ipsa sors sacra antiquis temporibus ad Jahvae voluntatem cognoscendam saepe exercitata (Nm 27, 21. al.) auctoritate prophetarum paulatim interiit, et cum Judaei ex exsilio Babylonio revertissent, prorsus oblivione obruta erat.[1] 1 Sm 28, 6 praeter Urim (et Tummim) somniis quoque et prophetis deus uti dicitur, quibus patefaciat, quid vellet.[2] Quare Israelitae hariolos et prodigiorum interpretes inter se versari sinere et poenâ mortis propositâ eorum artibus uti vetiti erant (Lv 19, 26. 31; 20, 6; Dt 18, 10—12).[3] Harioli secundum legem Lv 20, 27 lapidibus obruebantur. Nihilo minus Israelitae ut gens credula aeque ac gentes finitimae (Nm 22, 7; Dt 18,

[1] Complurium virorum doctorum sententia est oraculum sacrum non nisi usque ad aedificationem templi primi permansisse, quod postea de responsis eo modo impetratis nulla mentio fiat, sed prophetae tamquam extraordinarii voluntatis divinae interpretes surrexerint. Judaei autem id saltem pro certo habent post captivitatem Babyloniam oracula per Urim et Tummim non amplius reddita esse, quod etiam ex Esr 2, 63 = Neh 7, 65 et 1 Mcc 4, 44—46 colligi posse videtur (cf. Sota 9, 12. jer. Makkoth 32 a. Horajoth 47 a). Quod Josephus Ant. Jud. 3, 8. 9 memoriae prodit id genus revelationum divinarum ducentis demum annis antequam librum suum conficeret, finem cepisse non est dignum, quod credatur. Neque ex Sir 45, 10 (Vulg. 12), ubi de fide responsorum per Urim et Tummim datorum agitur, colligi potest talia responsa tum edita esse.

[2] 2 Sm 5, 24 deus sonitu arborum Baka utitur, ut Israelitis indicet, quando hostes aggrediantur; quem sonitum si David audiverit, Jahven cum exercitu suo ad pugnam egressum esse et David nihil aliud faciendum esse, ut Philistaeos percutiat, nisi proelium inire.

[3]) Locum Dt 18, 10—12 *W. R. Smith* in „Journal of philology" XIII, p. 273ss; XIV, p. 113ss. egregie explicavit.

14; Jos 13, 22; 1 Sm 6, 2)[1] omnibus fere temporibus vaticinationi dediti erant (1 Sm 28, 3. 9; 2 Rg 21, 6; 23, 24; Jes 8, 19; Mich 3, 11; Jer 29, 8; Sach 10, 2).[2]

Ceterum quamquam falso dicitur res futuras externis adiumentis investigare monotheismo Israelitarum repugnare, praesertim si Jahvae voluntas investigetur, tamen, cum divinatio a gentilibus profecta esset et gentilium formis (deorum simulacris consulendis, daemonibus invocandis, rebus similibus) exerceretur, Israelitae eâ in periculum adducebantur, ne ad polytheismum deficerent.

a) *Astrologia* apud varias gentes antiquas, imprimis apud Babylonios et Assyrios, usitata. Atque Jes 47, 13 Babyloniorum „sectores caeli, qui stellas contemplantur", commemorantur i. e. qui caelum in certas quasdam partes (duodecim segmenta, quae domos vel domicilia appellabant) dividebant, quarum auxilio futura praedicebant atque a siderum statu, qui erat hora natali, variis computandi et hariolandi artibus singulorum hominum fata definiebant. Ad hoc divinandi genus Jer 10, 2 respicitur, ubi propheta Israelitas vetat „signis caelestibus" i. e. vario astrorum statu terreri, ut portentorum caelestium metu affici solent gentiles.[3]

In Babylonia et Assyria vaticinatio institutionum publicarum erat. Deus solis Schamasch erat deus virorum vaticinandi peritorum, qui Enmeduranki, regem urbis Sippar (sedis cultus dei Schamasch), primum vatem colebant. In Tell Kujundschik multae tabulae fictiles inventae sunt, quae observationes ad vaticinationes pertinentes continent.

β) *Hepa'omantia* sive inspectio iecoris pecudis immolatae (Ez 21, 26), ad quam lex, quae reticulum iecoris incendi iubet (Ex 29, 13. 22; Lv 3, 4. 10. 15; 7, 4; 8, 16. 25; 9, 10. 19), pertinet.

2 Sm 24, 11 non de observatione extorum victimarum agitur. *S. Daiches* igitur (in „Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft" XXXI, 1911, p. 259) falso dicit Gad iisdem muneribus functum esse quibus *bârû* (= vates, ostentorum interpres; ad verbum = videns, part. verbi *barû* = videre) Babyloniorum, quod loco allato *ha-nâbî' chôze dâvîd* = propheta videns (regis) David appelletur.[4] Chronista loco parallelo (1 Chr 21, 9) vocabulum *ha-nâbî'* omisit, quod pro Gad titulus *chôze* vulgo usitatus esse coeperat (1 Chr 29, 29; 2 Chr 29, 25).

---

[1] Laban quoque portentorum interpretationi deditus erat (Gn 30, 27). Aliter *H. Sperber* in „Orientalistische Literaturzeitung" XVI, 1913, col. 389 s. (cf. *E. König*, Die Genesis p. 592. Gütersloh 1919).

[2] Conferas *A. Jirku*, Mantik in Altisrael (Diss.) Rostock 1913. *J. Döller*, Die Wahrsagerei im AT (Biblische Zeitfragen X, 11—12) Münster i. W. 1923.

[3] Quod nonnulli viri docti astrologos sive Chaldaeos iam ab imperatoribus Romanis Claudio, Vitellio, Vespasiano, aliis ex Roma et tota Italia expulsos esse contendunt, iam fidos Jahvae cultores astrologiam reiecisse cogitent.

[4] Quod Gad „videns (regis) David" nominatur, ille quidem proprie ad hunc regem pertinuisse dicitur. Neque vero ex eo pendet (ut prophetae regis Ahab 1 Rg 22, 22); nam dei iussu vaticinatur idque contra David (2 Sm 24, 12s.).

γ) *Brechomantia* sive divinatio ex nubium aspectu i. e. ex observatione earum tractus, figurae, tincturae petita, imprimis apud Babylonios et Assyrios, etiam apud Cananaeos (Dt 18, 14) et Philistaeos (Jes 2, 6) usitata. De qua vocabulum *ʿônên* (Lv 19, 26; Dt 18, 10; 2 Rg 21, 6 = 2 Chr 33, 6; Jes 57, 3; Jer 27, 9; Mich 5, 11), quod cum *ʿânân* (= nubes) conectendum est, intellegendum esse videtur.

δ) *Belomantia* i. e. divinatio, quae sagittis fiebat (Ez 21, 6), et *rhabdomantia*, cuius Hos 4, 12 mentio fit: „Populus meus lignum suum (*ʿêṣô*) consulit et baculus eius annuntiat" i. e. oraculum ei edit. Quo loco haud dubie de idolo ligneo cogitandum est (cf. Targ. *ṣelam*), quam vim vocabulum *ʿêṣ* Jer 2, 27 quoque habet, ubi propheta populo crimini dat, quod pro Jahve arborem (*ʿêṣ*) et lapidem (*'eben*) ut patrem et matrem colat. Iis verbis non, id quod nonnulli arbitrantur, arbores et lapides, quae pro sanctis habebantur, sed columnae lapideae et arborum trunci (symbola Baʿal et Astartes) significantur. Quo modo vocabula *ʿêṣ* et *'eben* etiam Dt 4, 28; 28, 36. 64; 29, 16; 2 Rg 19, 18 = Jes 37, 19; Ez 20, 32 interpretanda sunt.

ε) *Necromantea* (necyomantea) apud omnes fere gentes antiquas usitata, qua manes evocari de rebusque futuris vel dubiis consuli posse credebantur. Id quoque genus vaticinandi ut defectio a Jahve improbatum est (Lv 19, 31; 20, 6. 27; Dt 18, 11), sicut necromantii etiam a rege Saul e terra pulsi (1 Sm 28, 3. 9) atque a Jesaia (8, 19) impugnati sunt.

Quod Israelitae mortuos consulebant, id pro documento cultus mortuorum haberi non potest. Nam ne Teiresiae quidem anima ab Ulixe ex inferis evocata (Hom. Odyss. 10, 492ss.) numen divinum esse putatur. Israelitas autem incolas orci pro numinibus divinis non habuisse eo quoque demonstratur, quod eos Repha'îm (= debiles) nominabant.

ζ) Ad religionem popularem Israelitarum *teraphîm* quoque pertinent (Jdc 17, 5; 18, 14. 17s. 20; 1 Sm 19, 13. 16) i. e. simulacra magica, quae ut lares sive penates plerumque ad aedium ianuas posita erant, quae et qui domum ingrediebantur et qui domo egrediebantur venerari atque de rebus dubiis et occultis consulere solebant. Ab iis autem, qui religionem legitimam profitebantur, eorum usus plane improbabatur (1 Sm 15, 23; 2 Rg 23, 24; Hos 3, 4; Sach 10, 2. cf. Gn 35, 2. 4). Neque scriptor biblicus, quia 1 Sm 19, 13.

16 non vituperat, quod tale simulacrum in domo David est, idcirco eius usum probare existimandus est, ut ex eius silentio nondum colligi necesse sit teraphîm a religione legitima non abhorrere.

Adnotatio. — Inde, quod Joseph in Aegypto cyathum possidebat, ex qua vaticinabatur (Gn 44, 5. 15),[1] colligi non potest *divinationem ex cyatho* vera religione Jahvae probatam esse; nam Nm 23, 23 simpliciter dicitur: „Nulla divinatio (*qesem*) in Israel" i. e. apud Israelitas, qui veram religionem Jahvae servant. At ante legem Mosaicam ritus quidam futura cognoscendi esse potuerunt, a certis quibusdam viris legitime adhibendi deoque tum probati, qui vel ea lege abrogati sunt vel inde a Mose non sine inanis superstitionis nota exerceri potuerunt.

b) Ut divinatio, ita prophetae quoque falsi, qui imprimis posterioribus temporibus inter Israelitas exstiterunt,[2] cum religione populari coniungendi atque iure „prophetae populi" nominandi sunt. In quo numero sunt ii „circiter quadringenti viri",[3] qui nomine Jahvae regi Ahab vaticinati sunt, a quibus autem Micha, filius Jimla, eius aequalis, prorsus abhorrebat, ut vincula pati quam vaticinationem suam de rebus futuris regis Ahab mutare mallet (1 Rg 22, 6—28 = 2 Chr 18, 5—22).[4] Ut inimici verorum prophetarum Jahvae falsi prophetae in vetere testamento crebro com-

---

[1] Babylonii divinationem ex cyatho exercebant, cum in vas aquâ impletum oleum fundebant atque ex motibus olei res futuras praedicebant (*G. Quincke* in „Zeitschrift für Assyriologie und verwandte Gebiete" XVIII, p. 223—227). *Augustinus* De civ. dei, 7, 35: „Ipse Numa . . . hydromantiam facere compulsus est, ut in aqua videret imagines deorum vel potius ludificationes daemonum, a quibus audiret, quid in sacris constituere atque observare deberet."

[2] Quia apud Israelitas interdum etiam feminae prophetiae dono donatae sunt, ut Mirjam, soror Mosis (Ex 15, 20), Debora (Jdc 4, 4), Hanna (1 Sm 2, 1—10), et aliae mulieres saepius prophetandi munus sibi arrogabant deo non dante (Neh 6, 14; Noadja, cf. Ez 13, 17—23).

[3] Cum particula „circiter" non solum de numeris indiligenter, sed etiam de numeris diligenter indicatis usurpetur, non mireris, quod loco parallelo 2 Chr 18, 5 posita non est.

[4] Quadringenti illi prophetae, cum regi servirent ab eoque alerentur, prophetae Ahab appellati sunt (1 Rg 22, 22. cf. 2 Rg 3, 13). Quibus, cum Izebel veros prophetas Jahvae exstingueret, temperatum est (1 Rg 18, 4; 19, 10. 14; 2 Rg 9, 7). Neque vero aut ab Elia aut ab Elisa veri prophetae agnoscebantur (1 Rg 18, 22; 19, 10. 14 et 2 Rg 3, 13, ubi prophetae Ahab falsi prophetae Jahvae, prophetae Izebel prophetae Ba'al et Astartes intellegendi sunt). Quod *E. Sellin* (Der alttestamentliche Prophetismus, p. 20. Leipzig 1912) dicit prophetas illos tantum tum adversarios Micha, filii Jimla, fuisse, sed et antea et postea veros prophetas habendos esse, id demonstrari non potest. Ii quoque errant, qui prophetas illos non prophetas falsos, sed discipulos verorum prophetarum esse putant, id quod inde apparet, quod et a vero propheta Micha dissidebant et a Jahve ipso probati non sunt (1 Rg 22, 21 s.). Item prophetae illi falso „heathen prophets" (prophetae ethnici) nominati sunt (*F. Brown-S. R. Driver-C. A. Briggs*, A Hebrew and English lexicon of the Old Testament p. 612 a. Oxford 1906). Conferas etiam *H. M. Wiener* (in „Bibliotheca sacra" 1919, p. 344), qui eos prophetas dei Ba'al appellat.

memorantur: Dt 18, 20—22; Hos 4, 5; 6, 5; Jes 3, 2; 9, 14 („vates, qui falsa docent"); 28, 7; 29, 10. 14; Mich 3, 5 („prophetae, qui seducunt populum meum"); Jer 4, 9; 5, 13. 31; 6, 13; 8, 1. 10; 13, 13; 14, 13—16; 23, 9—15; 26, 7s; 27, 16; c. 28 (Hananja); 29, 8s. 21; Thrn 2, 14; 4, 13; Zeph 3, 4; Ez 13, 2s. 9; 14, 9s.; Sach 13, 2—4. Qui prophetae „adulterabant uxores sociorum suorum" (Jer 29, 23); lucrum expetebant (Mich 3, 11: „prophetae eius pro argento divinant" i. e. ut quisque nummos dedit, ita prophetae ei ominantur; quales quisque amat prophetias, tales prophetae venales habent; cf. 1 Sm 12, 14s, ubi dicitur, quid populus de Samuel iudicaverit); „mordent dentibus suis et proclamant pacem" (Mich 3, 5) i. e. qui dum prospera omnia promittunt et contribules suos securos esse iubent, populum stultum et ipsorum oraculis nimis credulum in illud periculum coniciunt, quod putabat cavendum;[1] luxuriosis epulis intererant (Jes 28, 7: „Absorpti sunt a vino [i. e. mente et viribus corporis vino privati, ut iam non homines videantur], errant in visione [i. e. prae ebrietate incerta pro certis vel falsa visa proferunt]"), a populo „sapientes sui" nominabantur (Jes 29, 14. cf. Thrn 2, 14;: „prophetae tui" i. e. prophetae populi).[2] Neque quamquam simulant se nomine Jahvae vaticinari (Jer 14, 14s; 23, 25; 29, 10. 21), ab eo edocti et missi sunt (ib. 14, 14s; 23, 32), sed suum ipsi spiritum sequuntur (Ez 13, 3: „ambulant post spiritum suum") i. e. cogitationes et commenta sua proferunt. Innituntur rebus cogitatione depictis (ib.: „ambulant post id, quod non viderunt" i. e. vaticinantur, quamvis nulla iis divinitus oblata sit visio, quamvis deus iis nihil ostenderit, quod populo suo annuntiari velit) et somniis, cum dicant: „Somniavi, somniavi" (Jer 23, 25) i. e. verba prophetiae in somnio mihi annuntiata sunt; nihil igitur nisi somnia crepant (cf. v. 27 et 28: „Propheta, cui est somnium, narrat somnium, cui verbum meum est, loquitur verbum meum, veritatem)." Sunt „prophetae somniantes mendacium" (v. 32), quos Israelitae non audiant (29, 8). „Somnia vanitatis loquuntur" (Sach 10, 2).[3]

---

[1] Alii „mordere" hoc loco intellegunt „comedere", ut sensus sit: dum iis abunde datur, quo ventrem impleant, populo grata praedicunt. Velut interpres Chaldaeus: „Qui offerenti ipsis convivia carnis vaticinantur pacem."

[2] Amos 7, 14 negat se esse prophetam talem, qualem Amazja, sacerdos idololatra in urbe Bethel, censeat. Quare vocabulum *nâbî* (a verbo Arabico *naba'a* = nuntiavit) hîc „prophetam populi" significat.

[3] Apud Babylonios quoque et Assyrios de vaticinationibus, quae in somniis positae erant, memoriae proditur (Keilinschriftliche Bibliothek II, p. 172 s. 187.

Vaticinantur „mendacium et fraudem cordis sui" (Jer 14, 14) i. e. edunt fraudulenta et ficticia vaticinia, qua populo tranquilla et felicia promittunt, quibus vanis promissionibus populum decipiunt efficiuntque, ut delictorum poenas, quas veri prophetae denuntiant, non timeant; „loquuntur visiones cordis sui" (ib. 23, 15) i. e. ea, quae ipsis videntur, „non ex ore Jahvae" i. e. non quod Jahve iis mandavit (ib.). Sunt igitur „prophetae doli cordis sui" (ib. 23, 26) i. e. qui dolum mente cogitatum loquuntur; „prophetae e corde suo" (Ez 13, 2) i. e. non missi a deo, sed ad arbitrium prophetias vanas et falsas effutiunt (cf. v. 17, ubi de mulieribus donum prophetiae sibi arrogantibus agitur, „quae e corde suo vaticinantur"). Qui prophetae „dei verba furari" dicuntur (Jer 23, 30) i. e. mendaciis suis efficiunt, ne homines veris prophetis fidem adhibeant, vel qui fidem ac reverentiam, quam alii veris prophetis adhibent, eorum animis excutere student. Sach 13, 2—4 cum „spiritu immunditiei" coniunguntur i. e. cum spiritu mendaci, qui eos incitat, ut falsis vaticinationibus alios decipiant. Ut veri prophetae vestem asperam e pilis caprinis vel camelinis confectam induebant (2 Rg 1, 8; Mt

---

201. 233. al.). Contra veri prophetae Jahvae nunquam, ne Jer 31, 26 quidem, deum sibi somniis se revelasse dixerunt. Et quamvis deus saepius somniis se hominibus manifestaverit atque somnia prophetica inter dona divina numerentur (Nm 12, 6), tamen in omnibus prophetarum libris tantum unam invenimus revelationem prophetae per somnium factam (Dn 7, 1ss.). Jeremia 31, 26 verbis: „Propter hoc evigilavi et vidi et somnus meus suavis (erat) mihi" nihil aliud dicit nisi se „propter" revelationem dei, quam antea commemoravit, experrectum oculos sustulisse et somnum sibi dulcem fuisse, quod ei revelatione dei finis factus sit. Hîc prophetam non de somnio agere ex his apparet: Jeremia antea (v. 23) non, ut falsi illi prophetae, dixit: „Somniavi." Neque enim sibi conscius erat se somniasse. Sed dixit: „Sic dixit mihi Jahve exercituum, deus Israelitarum" (31, 23—25). Qua oratione dei effectum est, ut de somno suscitaretur. Verba „propter hoc", e quibus sequens versus 26 incipit, ad illam orationem dei referenda sunt. Quam orationem experrectus audivit, cum ea ineunte de somno suscitatus esset. Quod nisi ita se haberet, fieri non potuit, ut alios prophetas vituperaret, quod somnia respicerent. Dt 13, 2 quoque somniator a propheta differt, eius rei ratione non habitâ, quod ibi tantum de falso propheta agitur. Plerumque igitur prophetae visione a deo edocti sunt, id quod etiam nominibus ipsis prophetarum (*chôze* et *rô'e* = videns), inscriptionibus librorum vel pericoparum frequentibusque assertionibus prophetarum (Jes 1, 1; 2, 1; 6, 1; 13, 1; 21, 3; Jer 1, 11. 13; Ez 1, 1. al.) demonstratur. Prophetis falsis in sacris litteris tantum *châzâ* = spectare attribuitur (Ez 13, 6—8. 23; 21, 34; Sach 10, 2), *râ'â* = videre autem plane abiudicatur (Ez 13, 3. cf. Jes 44, 9). Contra visiones verorum prophetarum semper verbo *râ'â* significantur (Am 7, 1—9; 8, 1—3; 9, 1; Jes 6, 1; 21, 6s; Jer 1, 11—13; 24, 1. 3; Joel 3, 1; Hab 2, 1; Ez 1, 4. 15. 27; 3, 23; 8, 2. 4 etc usque ad 11, 25; 37, 1—10; 40, 4. al. Sach 1, 8—6, 8). Discrimen verorum et falsorum prophetarum ita significatum hac formula ostendi potest: Illi viderunt, hi spectarunt, sed non viderunt. Ceterum videas *E. König*, Theologie des AT[3-4] p. 62—65.

3, 4), ita falsi quoque prophetae tali veste utebantur „ad mentiendum" (Sach 13, 4) i. e. ut habitum verorum prophetarum prae se ferentes mendaciis suis fidem facerent.[1]

De eius modi prophetis Jesaia 3, 12 dicit: „Populе mi, ductores tui (quorum est rectâ viâ te ducere) sunt seductores". Quod 9, 15 repetit. Et Jeremia Thrn 2, 14 falsorum prophetarum vaticiniis adulatoriis et fallacibus suae gentis interitum adscribit: „Prophetae tui viderunt (praenuntiaruntque) tibi vanum (fausta et felicia tibi promiserunt scelerumque tuorum impunitatem) et insipidum (absurdum) nec retexerunt super delictum tuum (i. e. nec revelarunt tegmen tuae pravitati impositum, ita ut peccata tua tibi ante oculos ponerent et coarguerent) ad avertendum (ita ut averterent) captivitatem tuam (quod utique praestare potuerunt, si te fideliter monuissent tuque illorum monitis paruisses)".[2] Quos prophetas Amos 7, 14s. prorsus repudiat, cum dicat: „Non propheta ego (eram ab initio) nec filius prophetae ego (sum), nam armentarius ego (sum) et vellicans sycomoros. Jahve autem (cui resistere nefas est) assumpsit me a post oves (i. e. a grege), et dixit (mandavit) mihi: Vade, vaticinare ad populum meum Israel!" Quibus verbis Amos se neque sua voluntate et electione ut quadringentos illos prophetas regis Ahab, neque educatione vel institutione in scholis prophetarum, sed ex definita vocatione divina munus propheticum sumpsisse praedicat.[3]

Causae, quibus prophetae falsi impellebantur, hae sunt: studium populo, imprimis regibus atque nobilibus blandiendi, ut eorum favorem conciliarent; spes fore, ut ex vaticinationibus magnos quaestus facerent; falsus intellectus dei, quasi hic non iustitiâ, sed partium studio duceretur; opinio, qua eos salutem gentis Israeliticae in belli apparatu atque in foederibus cum gentibus ethnicis ictis positam esse putabant, cum veri prophetae semper monerent, ne talia facerent (cf. Jes 7, 17—25; 8, 6—8; 30, 1—7; 31, 1—3; 36, 6; Jer 2, 18. 36; Ez 16, 26—29; 17,

[1] Quare prophetae falsi a *T. K. Cheyne* (The two religions of Israel with a reexamination of the prophetic narratives and utterances p. 16. London 1911) iure „ingenia minoris ordinis" appellati sunt.

[2] Quod *J. Meinhold* (Einführung in das AT p. 206) etiam adversarios prophetae Jeremia maximam partem genti suae prodesse voluisse et se Jahvae servire putasse dicit, id e sacris litteris efficere non potest.

[3] Quod *J. Meinhold* (ibidem p. 118s. 140) inter veros et falsos prophetas id interesse dicit, quod illi mala, hi bona vaticinati sunt, id propterea falsum est, quod veri quoque prophetae non tantum mala praedixerunt (cf. Am 1, 4s; 5, 4. 14s; 9, 11—15; Hos 1, 10s; 2, 16s. 21; 3, 5; Jes 1, 26s; 11, 13; Jer 3, 18; 31, 27—40; Ez 37, 13s. al.).

11—21; Hos 5, 13; 7, 11s; 12, 2s.), non quod eius modi foedera legi Mosaicae contraria essent, sed quod iis auxilio divino diffideretur.[1]

Praeter divinationem et prophetas falsos in religione populari Israelitarum, ut apud Aegyptios (Ex 7, 11. 22; 9, 11),[2] Babylonios-Assyrios (Dn 2, 2. cf. Jes 47, 9. 12),[3] alias gentes antiquas, variae quoque artes magicae in usu erant (1 Sm 28, 3. 9; 2 Rg 17, 17; 23, 24; 2 Chr 33, 6; Jes 2, 6; 57, 3; Mich 5, 11; Mal 3, 5), a quibus vera religio Jahvae prorsus abhorrebat, ita ut nulla ex omnibus gentibus antiquitatis tam aliena ab iis fuisse videatur quam Israelitae. Atque Nm 23, 23 scriptum legimus: „Nulla incantatio (*nachasch*) in Jacob et nulla divinatio (*qesem*) in Israel." Videas quoque leges Ex 22, 17. Vulg. 18 (ubi tantummodo incantatrix vel praestigiatrix poenâ mortis afficienda esse dicitur, propterea quod plerumque mulieres artibus magicis deditae inveniuntur)[4] et Lv 19, 31; 20, 6. 27; Dt 18, 10—12 (ubi varia superstitionis genera cum fictorum deorum cultu arte coniuncta severissime prohibentur).[5] Jesaia quoque 2, 6; 3, 3 (Vulg. 2) vituperat, quod externae super-

---

[1] Videas *C. H. Cornill,* Israelitische Volksreligion und die Propheten (Das Christentum p. 3—32. Leipzig 1908). *E. Sachsse,* Die Propheten des AT und ihre Gegner (Zeit- und Streitfragen des Glaubens XIII, 4) Berlin-Lichterfelde 1919. *E. König,* Die messianischen Weissagungen des AT (Stuttgart 1923) p. 18—20. Geschichte der alttestamentlichen Religion [3-4] p. 350—354.

[2] Magi in Aegypto summo honore florebant. Erant ordinis sacerdotalis et scientiam ex sacris litteris, quae deo Thot adscribebantur, hauriebant. Idem cadit in sapientes sive scientes (*rchjw cht*), quorum in papyris saepe mentio fit. Videas *A. Wiedemann,* Magie und Zauberei im alten Aegypten (Der alte Orient VI, 4) Leipzig 1905.

[3] Falso dictum est artem magicam in codice Hammurapi prohibitam esse. *A. Ungnad* quidem paragraphum secundam ita convertit: „Si quis quem in suspicionem artis magicae adduxerit" etc. (*H. Greßmann,* Altorientalische Texte und Bilder zum AT I, p. 143). At ut vocabulum *abâru* in paragrapho prima non suam propriam vim habet, ita vocabulum *kischbu* quoque in paragrapho secunda generatim usurpatum sit necesse est. Nam si *kischbu* „arte magica" redditur, paragraphus secunda paragraphis primae et tertiae parum accommodata est, quippe cum manifestum sit primis paragraphis de universis falsis criminibus et mendaciis, non de certo quodam falso crimine agi. — Conferas *L. W. King,* Babylonian magic and sorcery. London 1896. *C. Fossey,* La magie assyrienne. Paris 1903. *M. Jastrow,* Die Religion Babyloniens und Assyriens (Gießen 1905—12) videas indicem s. v. „Beschwörung" und „Zauberei". *O. Weber,* Dämonenbeschwörung bei den Babyloniern und Assyrern (Der alte Orient VII, 4) Leipzig 1906. *A. Ungnad,* Die Deutung der Zukunft bei den Babyloniern und Assyrern (Der alte Orient X, 3) ib. 1909. Die Religion der Babylonier und Assyrer (Jena 1921) p. 243—296: Zaubertexte.

[4] Pirke aboth 2, 7: „Qui multiplicat uxores, multiplicat veneficas (*keschaphîm*)."

[5] Regem Saul, cum magos et hariolos expelleret (1 Sm 28, 3. 9), Mosis menti congruentem egisse etiam *C. H. Cornill* (in „The Monist" 1910, p. 181) comprobat.

stitiones magicae in gentem Israeliticam inducuntur. Tantum serpentes virulentos incantare sectatores religionis legitimae nefas non esse existimasse videntur (Jer 8, 17; Ps 58, 6; Koh 10, 11).

Quantopere Israelitae, qui a Jahve defecerant, superstitioni dediti fuerint, etiam ex effossionibus in Palaestina factis cognoscimus, quibus permulta amuleta inventa sunt. Quae etsi magistratuum quoque et mercatorum Aegyptiorum aut aliorum peregrinorum atque Cananaeorum fuisse possunt, cum tam multa effossa sint, tamen existimandum est Israelitas quoque iis usos esse.[1]

2. Studium quoque plurium deorum colendorum religionis popularis Israelitarum proprium est, id quod cum alii tum Elia (1 Rg 18, 18), Amos (2, 4), Jeremia (2, 10—13) acerrime queruntur. Atque deos commenticios colere in vetere testamento gens electa gravissimis poenis propositis vetatur (Ex 22, 19 [Dt 17, 2—5]; Dt 6, 14s; 8, 19s; 30, 17s; 31, 16s.) neque ullum fere praeceptum totiens ibi repetitur et inculcatur quotiens de vitandis diis alienis (Ex 20, 3; 22, 19; 23, 13. 24s. 32s; 34, 14; Lv 19, 4; 26, 1; Dt 5, 7; 6, 4s. 13; 10, 20. al.). Quare Judaeorum magistri etiam atque etiam dicunt praeceptum cultus alieni repudiandi esse instar praeceptorum cunctorum; esse fundamentum, quo omnia alia praecepta innitantur, nullamque reliquorum praeceptorum observationem Jahvae esse acceptam uno illo praecepto neglecto. Nihilo minus animi sectatorum religionis popularis omnibus temporibus inclinabant, ut quae mente solâ perspiciuntur, ea exprimerent et ante oculos ponerent ideoque etiam numen divinum imagine effingerent. Quae imagines cum facile pro numine ipso haberentur, *idololatria* exsistit, contra quam per omnia fere tempora historiae Israelitarum pugnatur.

Ratio, quae Jahvae cum gente Israelitica intercedit, saepe imagine matrimonii et Israelitarum defectio a cultu Jahvae imagine adulterii describitur. Atque Jahve ipse suum erga gentem Israeliticam amorem cum amore, quo maritus ad coniugem trahitur, comparat. Ut igitur adulterium summum est crimen, quo fides coniugalis violetur, ita etiam gens a Jahve electa falsorum deorum cultu summum crimen committit, quippe cum fidem Jahvae datam violet amoremque Jahvae debitum eodem modo ad falsos deos transferat, quo adultera a legitimo marito amorem ad adulterum transfert.

---

[1] Conferas *F. Schmid*, Die Zauberei und die Bibel (in „Zeitschrift für katholische Theologie" XXVI, 1902, p. 107—130). *L. Blau*, Das altjüdische Zauberwesen.[2] Berlin 1914.

Dii commenticii, qui a sectatoribus religionis popularis colebantur, cum Israelitae procedente tempore cum variis gentibus commercium haberent, varii fuerunt. Atque partem Israelitarum in terra Gosen commorantium diis Aegyptiis servisse ex Jos 24, 14; Ez 20, 7s; 23, 3. 8 (cf. v. 19—21) apparet.[1] Nm 25, 3 cultus dei Baʿal Peʿôr commemoratur. Post Israelitarum immigrationem in terram Canaan cultûs deorum Cananaeorum, Baʿalîm et 'Aschtârôth (cf. Jdc 2, 11 usque ad 1 Sm 7, 3s. [12, 10]),et gentium finitimarum, velut Ammonitarum, Moabitarum, Sidoniorum (1 Rg 11, 5. 7. 33; 16, 31s. al.), saepe mentio fit. Atque unâ cum diis Cananaeorum Israelitae etiam varias formas venerationis eorum acceperunt, imprimis cultum in locis excelsis exercitatum, quo haud raro vel legitimus Jahvae cultus inquinatus est. Cultui siderum Israelitae fortasse iam in deserto dediti erant (Dt 4, 19; 17, 3).[2] Qui cultus postea et in regno Israelitico (2 Rg 17, 16; Am 5, 26s.)[3] et in regno Judaico (2 Rg 21, 3. 5; 23, 5; 2 Chr 33, 3. 5; Zeph 1, 5. Ez 8, 16 [adoratio

[1] Nonnulli viri docti (ut *Ch. Piepenbring*, Histoire du peuple d' Israël p. 47. Strasbourg 1898. *G. Jahn*, Das Buch Ezechiel auf Grund der Septuaginta hergestellt p. XV. 96 s. 133. Leipzig 1905. *K. Marti*, Geschichte der israelitischen Religion[5] p. 19s.) ex locis allatis falso collegerunt *omnes* Israelitas in Aegypto commorantes fictorum deorum cultui deditos fuisse. Qui loci quo modo intellegendi sint, *E. König*, Geschichte der alttestamentlichen Religion[3-4] p. 35—43 docuit.

[2] Quod *seʿîrîm* (i. e. daemones formâ hircinâ aut hirci simili induti, qui in nemoribus, silvis, desertis locis degere, obscenas choreas ducere sibique acclamare credebantur), quibus Israelitae per desertum migrantes sacra faciebant (Lv 17, 7), et *lîlîth* (= Akkad. *lîlîtu*, masc. *lîlû*, i. e. spectrum nocturnum, mulieris ornatae speciem prae se ferens), etiam Jes 13, 21; 34, 14 commemorantur, inde non efficitur prophetam ipsum omnibus opinionibus superstitiosis aequalium adstipulatum esse. Loci allati poetarum more dicti sunt: propheta ut tristem illam animi commotionem, quae Babylone urbe vastata excitabatur, describeret, de opinionibus, quae per vulgus diffusae erant, admonuisse potest. Arabes etiamnum totum desertum plenum esse daemonum putant, quibus capras immolant. — Ad religionem popularem Israelitarum *schêdîm* (= daemones) quoque pertinent, quorum cultus Dt 32, 17 et Ps 106, 37 improbatur. Quod Israelitae iis „filios suos et filias suas" mactasse dicuntur, sacrificia piacularia intellegenda sunt; nam daemones, cum auctores calamitatum esse vulgo in oriente putarentur, sacrificiis placabantur.

[3] Locus Am 5, 26s. non ad quadraginta illos annos commorationis Israelitarum in deserto, sed ad eam aetatem referendus est, qua Assyrii bello in Palaestinam illato siderum cultum secum invexerunt, cui Israelitae protinus se dederunt; quare Jahve eos a solo patrio in regiones trans Damascum sitas abacturus est, unde cultus ille originem ducit. Itaque verbum *ûnesatem* perfectum consecutivum cum vi temporis futuri interpretandum est (*E. König*, Historisch-komparative Syntax der hebräischen Sprache § 368b. p. 520. Leipzig 1897), ut verba prophetae vertenda sint: „Et portabitis Sakkût, regem, et Kaivân, idola vestra, stellam deorum vestrorum, quos fecistis vobis; ideo migrare faciam (deportabo) vos ultra Damascum", sententia autem haec insit: Israelitae propter scelera sua e terra expellentur et dii, quos secum portabunt, nihil eos adiuvabunt.

solis orientis]) longe lateque diffusus erat. Quem autem deum peregrinum „simulacrum zeli" (Ez 8, 3. 5) effinxerit, reperiri non potest. Unum hoc constat id simulacrum idolum fuisse, quo aemulatio Jahvae vehementissime excitaretur, praesertim cum in eius templo esset. Ex Syria cultus Tammûz (Adonidis) Hierosolyma translatus est (ib. v. 14). Cum Aegyptus et Canaan terrae vicinae sint et Israelitis cum Aegyptiis commercium esset, verisimile est deos quoque Aegyptios Israelitis notos fuisse. Et confirmatur effossionibus in Palaestina factis Israelitas diis Aegyptiis (praeter Osirim imprimis diis secundi ordinis) eorumque signis ad superstitionem usos esse. Animalium cultûs Aegyptii Ez 8, 10—12 mentio fieri videtur. Etiam Persarum religionem ad Judaeos pertinuisse ex Ez 8, 17 cognoscimus, ex quo loco nonnulli eorum ramum sive palmitem ab arbore abscissum precantes ad nares applicabant, Persarum magos solem adorantes imitati, qui, cum sacrificabant, ut omnia impura arcerent, virgarum fasciculum (*Barecman*, *Barsom*) manu tenebant, et ne spiritu impuro aedem sacram polluerent, ori velamen (*Paitidâna*) obducebant. Exsulantes quoque deorum alienorum cultui variisque superstitionibus se dedisse ex Jes 42, 17; 46, 5—7; 48, 5—13; 57, 3—11; 65, 3s. 11; 66, 3. 17 (in Babylonia), Ez 14, 3; 20, 30—32. 39 (ad flumen Kebar) cognoscitur. Haud meliores erant Judaei in Aegypto habitantes (Jer 44, 3. 8. 15), ubi mulieres, quae se abundantiam omnium rerum diis alienis debere sibi persuaserant, „reginae caeli" (*meleketh ha-schâmajim*) placentas formâ cornutâ ac libamina dare solebant (ib. 7, 18; 44, 17—19. 25). Postremum idololatria a Judaeis exercitata 2 Mcc 12, 40 memoratur.[1]

Sunt qui dixerint, cum Ez 16, 17s. de phallis aureis et argenteis agi verisimile sit, prophetam cultum phalli testari (ut *R. Kraetzschmar*, Das Buch Ezechiel p. 149. Göttingen 1900. *A. Jeremias*, Der Einfluß Babyloniens auf das Verständnis des AT p. 21). At verba „et operuisti eas" (= vestem induisti iis) potius eo spectant, ut de totis integrisque deorum figuris hîc agatur.

Ex nonnullorum opinione Jes 57, 8 vocabulum *jâd* „manus" titulum locis, quae rebus venereis destinata sunt, superpositum i. e. phallum significat, cum „manus" symbolum Veneris sit (*E. Sellin* in „Orientalistische Literaturzeitung" XV, 1912, col. 122. cf. etiam *B. Duhm*, Das Buch Jesaia p. 389. Göttingen 1902).

[1] Israelitas peregrinos deos coluisse effossionibus in Palaestina factis confirmatur. Nam multa simulacra deorum lignea, lapidea, fictilia, praeterea sigilla cum diis effictis inventa sunt. Quae omnia parvae figurae sunt, quae non ad publicum, sed ad privatum cultum adhibebantur. Cum autem ipse privatus peregrinorum deorum cultus praecipue damnosus sit, plane intellegimus, cur prophetae tam acriter querantur populum etiam atque etiam denuo a religione patria deficere.

Quam interpretationem *K. Budde* („Orientalistische Literaturzeitung", ib. col. 252) falsam esse putat, sed aliam non profert. Conferas *E. König*, Hebräisches und aramäisches Wörterbuch zum AT (Leipzig 1910) p. 141a.[1]

G. Beer (in „Zeitschrift der deutschen morgenländischen Gesellschaft" LXVII, 1913, p. 159) contendit Israelitas deam inferorum *sche'ôl* coluisse, quod inde appareat, „quod id vocabulum in vetere testamento semper generis feminini sit et ut nomen proprium sine articulo ponatur" (Dt 32, 22; 1 Sm 2, 6; 2 Sm 22, 6; Jes 5, 14; Ps 6, 6. al.). At ii loci, ubi vocabulum *sche'ôl* non est generis feminini, explicari possunt (*E. König*, Historisch-komparative Syntax der hebräischen Sprache § 249) et sine articulo alia quoque multa vocabula ponuntur (ib. § 292 a b. 293 c), ut ea re illud vocabulum initio nomen proprium fuisse et numen aliquod divinum significasse non demonstretur. Praeterea G. Beer orcum in vetere testamento „matrem terram" esse dicit Gn 3, 19 (?); Job 1, 21; Ps 139, 13. 15; Sir 40, 1 (cf. *R. Smend*, Lehrbuch der alttestamentlichen Religions-Geschichte[2] p. 478. Freiburg i. Br. 1899). At talem opinionem illis locis subesse minime verisimile est. Neque enim opinio de „matre terra", quae apud alias gentes invenitur, Israelitis quoque attribui potest.

Ex multorum virorum doctorum opinione rebus quoque cultus naturae i. e. arboribus, lapidibus, fontibus gens Israelitica serviebat. Apud complures enim gentes orientis antiquitus spiritus naturae (*'êlîm*)), spiritus vitae fecundae, quae in arbore viridi et in fonte vivo apparebat, colebantur. Quare ubi eius modi res erant, auxilium spirituum naturae caerimoniis superstititosis petebatur. Qui mos apud eos quoque Israelitas, qui religionem popularem sequebantur, viguisse potest, sed ex locis biblicis pro ea opinione allatis effici non potest. De qua re videas *E. König*, Geschichte der alttestamentlichen Religion[3-4] p. 93—109.

Num Israelitae, qui a vera religione Jahvae defecerant, animismo vel mortuorum cultui et maiorum venerationi dediti fuerint, iam reperiri vix potest. Argumenta pro ea re prolata ad fidem faciendam apta non sunt. Conferas librum, quem inscriptum „De Hebraeorum ante exsilium Babylonium monotheismo" Oeniponte 1910 edidi (p. 173—176), et *F. Meffert*, Israel und der alte Orient p. 101—104.

Judaeos quoque in Nili insula Elephantine et urbe Syene (Assuân) commorantes monotheismum non pure conservavisse ex papyris Aramaicis ibi inventis[2] apparet. Colebant illi quidem *jhv* (= *Jâhû* vel *Jâhô*) i. e. *Jahven* eorumque templum plane „templum dei Jâhû" nominatur (Pap. 1 et 2) et Bagohi, Persarum in Judaea praefectum, simpliciter salutant verbis: „Dominum nostrum deus caeli salutet!" (Pap. 1, 2). Item ex trecentis fere nominibus virorum

[1] Num unam ex duabus illis columnis in Tell Taʿannek inventis phallum intellegendam esse (*J. Benzinger*, Hebräische Archäologie[2] p. 324. Tübingen 1907), quod altera excavationem quandam habeat, incertum est. Nam si ea excavatione muliebria finguntur (cf. Herod. Hist. 2, 106), ut ea columna symbolum Astartes fuerit, prior columna symbolum dei Baʿal i. e. obeliscus esse neque phallum significare potest. Conferas *P. Thomsen*, Kompendium der palästinischen Altertumskunde (Tübingen 1913) p. 28.

[2] *E. Sachau*, Aramäische Papyrus und Ostraka aus Elephantine. Altorientalische Sprachdenkmäler aus einer jüdischen Militärkolonie des 5. Jahrhunderts v. Chr. Leipzig 1911.

et feminarum Judaeorum quarta fere pars cum nomine Jahvae ita composita est, ut nomen in syllabam *jah* exeat, sicut saepe in nominibus biblicis, neque ullum nomen reperitur, quod cum alterius dei nomine compositum sit. At praeter Jahven *'Aschîm-bêt'êl*, *ʿAnât-bêt'êl*, *Cherem-bêt'êl* commemorantur. Item tributum sacrum (duo sicli) non modo pro deo Jâhû, sed etiam pro 'Aschîm-bêt'êl et ʿAnât-bêt'êl colligebatur (Pap. 18). Quae cum ita sint, Judaei illi a monotheismo ad polytheismum se converterunt, id quod etiam ex verbis: „Dii omnes (*'elahaja kul*) te salutent!" (Pap. 12, 1) apparet. Nonnulli existimant *'elahaja* hîc ut *'elôhîm* in vetere testamento pro singulari accipi posse. Quod falsum esse sequenti vocabulo *kul* demonstratur. Praeterea illi Judaei cum deo Jâhû deam ʿAnât ut sociam composuerunt: *ʿAnât-Jâhû*, cum in lingua Hebraica ne vocabulum quidem, quo „dea" significetur, exstet. Sunt quidem qui dixerint nomen ʿAnât-Jâhû non pro nomine divino, sed pro nomine hominis habendum esse. At e nomine ʿAnât-Jâhû cum vocabulo *mesgida* (quod aedem sacram significat) coniuncto (Pap. 32, 3) apparet ʿAnât-Jâhû nihil aliud nisi numen divinum significare posse. De ceteris deorum nominibus haec admoneantur: *'Aschîm* est forma masculina nominis *'aschîmâ'*, quo 2 Rg 17, 30 dea incolarum urbis Hamath (quae est nobilissima Syriae urbs ad Orontem sita), qui ab Assyriis in Palaestina media collocati sunt, appellatur. Neque vocabulum *schim* (= Hebr. *schêm*) „nomen" in eo nomine divino quaerendum est, quod demonstrari non potest *schim* cum 'Aleph prosthetico unquam inveniri. Nonnulli nomen 'Aschîm cum *Ischum* Babyloniorum deo pestilentiae coniungere volunt. Quem deum Judaei in Aegypto commorantes ignorasse videntur. Rursus alii nomen 'Aschîm cum *Eschmun* nomine dei Phoenicio aequant, quod in nominibus quoque cum aliquo dei nomine compositis, quae in testis in insula Elephantine inventa sunt, exstat. Denique alii deam *Σίμην* in Syria cultam, quae interdum numen virilis sexus habetur, cum 'Aschîm comparaverunt. Dea *ʿAnât* ex antiquis textibus et imaginibus Aegyptiis vulgo nota est. Etiam in Palaestina iam multo ante Israelitarum immigrationem colebatur. In vetere quoque testamento vestigia cultus eius deae inveniuntur. Itaque non est mirum, quod eam deam in Asia anteriore et in Aegypto cultam etiam Judaei in Elephantine-Syene commorantes venerabantur, sive quod eam ibi cognoverunt, sive quod eius cultum e patria eo transtule-

runt. *Cherem-bêt'êl* nomen alicuius dei intellegendum esse ex addito vocabulo *'elaha* (= deus) apparet (Pap. 27, 7). *Cherem* autem devotionem ad internecionem sive anathema significat, ut per metonymiam pro eius auctore usurpatum sit itaque atrocitatem illius dei describatur. Vocabulum *bêt'êl* (= domus dei), quod nominibus eorum numinum additum est, per metonymiam pro „deo" usurpatur, ut haud raro vocabulum „caeli" pro „deo" ponitur (Dt 4, 23; Mt 21, 25; Mc 11, 30; Lc 15, 18; 20, 4; Jo 3, 27). Quod Jeremia c. 44 Judaeis, qui Gedaljah praefecto occiso ex Palaestina in Aegyptum fugerant, cultum deorum alienorum, imprimis cultum „reginae caeli" crimini dat, dubium est, num Judaeos quoque in Elephantine-Syene commorantes respiciat et num dea 'Anât „reginae caeli" aequanda sit.

Ex complurium virorum doctorum opinione illi Judaei ab auxiliis oriundi sunt, quae a civitate Judaica Pharaoni Psammetich II (593—588 a. Ch. n.) pro expeditione contra Aethiopes missa sunt. Religio, quam mercennarii illi Judaici in Aegyptum induxerunt, haud dubie erat religio popularis saeculi sexti. Ea facillime explicatur, cum ponitur auxilia a civitate Judaica Aegyptiis missa non in Judaea ipsa, sed in Palaestina media, ubi coloni e Syria aliisque terris oriundi habitabant, collecta esse, et cum respicitur coloniam illam Judaicam a sede principali cultus Jahvae longe remotam fuisse.

3. Ut veneratio simulacrorum deorum ad religionem Babyloniorum, Assyriorum, aliarum gentium orientis antiqui pertinebat, ita etiam in Israelitarum religione populari reperimus homines non intellexisse deum esse spiritum ab omni concretione mortali segregatum, quod simulacra eius fingebantur. In vetere autem testamento cultus Jahvae sub imagine exercitatus semper defectio a vera religione esse iudicatur (Ex 20, 4s. Lv 26, 1. Dt 4, 15s; 5, 8s; 27, 15. al.):[1] nam Jahve, qui de caelo genti Is-

[1] Ex 20, 4 tantum simulacrum sculptile vetatur, non quod alia simulacra concessa sint, sed quod idola tum plerumque simulacra sculptilia eaque lignea erant. Ex 20, 23 praeterea simulacra argentea et aurea et Ex 34, 17 simulacra fusa fieri vetantur, quod propter vitulum aureum paulo ante confectum factum esse videtur. Quod Dt 4, 16 imagines deorum et dearum distinguuntur, locum foederis linguâ Akkadicâ conscripti et in Boghazköj inventi, quod inter Schubbiluliuma, regem Hethaeorum, et Matiuaza, regem terrae Mitanni, ictum est, compares, ubi, cum dii, qui testes foederis icti sint, enumerantur, scriptum legimus: „Dii virilis et muliebris sexus omnes."

Falso dicitur edictum, ne imagines dei colantur, non iam Mosis aetate, sed posterioribus demum temporibus ad religionem legitimam Israelitarum pertinuisse (*B. Stade*, Biblische Theologie des AT I, p. 47s. *E. Kautzsch*, Biblische Theologie des AT p. 71. alii). Plura de hac re videas in libro „Quaestiones de vetere testamento et comparativa religionum historia recentiore aetate propositae" (p. 29—34) anno 1925 Tongerloae a me edito.

raeliticae locutus erat (Ex 20, 22), non est formâ oculis subiectâ et Dt 4, 12. 15 quoque affirmatur gentem Israeliticam in monte Horeb „de medio ignis vocem audisse, sed formam penitus non vidisse." Etsi Israelitae ex Aegypto egressi non simulacrum vituli[1] ipsum, quod ad montem Sinai ex inauribus aureis formaverant, pro deo habebant (id quod ex loco Ex 32, 5 apparet, ubi Aaron per praeconem sollemnitatem Jahvae cum convivio celebrandam indicit), tamen eo peccabant, quod legem de deo nequaquam sub ulla imagine adorando violabant ideoque a vera religione deficiebant.[2] Et quantopere rex Jerobeam I a religione Jahvae aberravisse existimatus sit, cum duos vitulos aureos poni iussit (1 Rg 12, 28s.), inde apparet, quod cultus eorum cum ignominia „peccatum Jerobeam, quo fecit peccare Israel" appellabatur (ib. 12, 30; 13, 34; 14, 16; 15, 26; 30. 34; 16, 2. 19. 26).[3] Sunt quidem qui existiment cultum a Jerobeam institutum ab idololatria, quae proprie dicitur, diversum non esse. Quod ut comprobent, imprimis locum 1 Rg 14, 9 afferunt, ubi Ahija propheta dei iussu Jerobeam ita compellat: „Tu pessime fecisti omnium, qui fuerunt ante te; ivisti enim ac fecisti tibi deos alios (et quidem) simulacra fusa, ut irritares me, et proiecisti me post tergum tuum." At Ahija id unum dicit Jahven in imagine vituli venerari idololatriae ipsi verisimile esse, id quod sic fere accipiendum est, ut Christus ipsum aspectum libidinosum adulterium appellat (Mt 5, 28) neque tamen dicere vult eum aequandum esse vero adulterio. Ad hoc bene observandum est Jerobeam, cum cultu vituli instituto eos, qui sub eius regno erant, templum Hierosolymitanum invisere prohibere vellet, id tantum magnificentiore Jahvae cultu assequi potuisse; nam alieno cultu apud Ephraimitas, qua erant pietate, contrarium eius, quod consectabatur, effecisset. Ceterum 1 Rg 12, 28s. tantum de veneratione alicuius symboli Jahvae agi apparet et ex amicitia, quae compluribus regibus regni Israel cum Elisa aliisque prophetis, qui postulabant, ut Jahvae fides prae-

[1] Ex nonnullorum opinione id simulacrum, quamquam Ex 32, 4 *ʿêgel* (vitulus) vocatur, tamen tauri formam referebat, nam Ps 106, 20 de eo vocabulum *schôr* (taurus) usurpatur.

[2] Quae cum ita sint, *M. G. Kyle* (in „The Sunday School Times" LV, 1913, 6. Sept.) falso contendit venerationem vituli aurei Ex c. 32 cultum idoli fuisse, quia cultum idoli cum veneratione imaginis confundit (Ex 20, 3 et 4s.). Conferas *E. König*, Image worship and idol worship in the OT (The Expositor 8. S. VII, p. 289—298).

[3] De insano cultu vitulorum Hosea 13, 2 his verbis queritur: „Homines (audite: homines ratione praediti!) vitulos osculantur."

staretur, erat (2 Rg 9, 1; 13, 14; 14, 25), et ex Hos 4, 15, unde cognoscimus Israelitas in urbe Bethel per Jahven iurasse, et ex 1 Rg 16, 31, ubi peccatum Jerobeam minus erratum fuisse quam cultum Baʿal dicitur.[1] Idem et inde perspicimus, quod ii quoque reges, qui cultui a Jerobeam instituto dediti essent, tamen Jahven deum Israelitarum appellabant (2 Rg 3, 13; 16, 33 al.), et ex propheta Amos, ubi scriptum legimus incolas regni Israel Jahven Ṣebâôth secum esse dixisse (5, 14) et optasse, ut dies Jahvae veniret (5, 18).

Dum anno 1909/10 Samariae (Tell Sebasṭîje) effossiones fiebant, nomen proprium *ʿEgeljô* sive *ʿEgeljau* (rectius *ʿEgel-jâw*, cf. *E. König* in „Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft" XXXV, 1915, p. 48s.) = vitulus est Jahve in ostracis inscriptum inventum est (*G. Hölscher* in „Mitteilungen und Nachrichten des Deutschen Palästina-Vereins" XVII, 1911, p. 27). Alio loco sigillum Schemaʿ-jahu, filii ʿAzar-jahu, quod octavo vel septimo a. Ch. n. saeculo confectum imaginem tauri ostendit, effossum est. Quibus rebus Jahven imagine tauri cultum esse demonstratur.[2] Num autem aliis quoque imaginibus expressus est, non accepimus. Ex nonnullorum opinione nummi quidam inventi sunt, qui symbola Jahvae exhibeant, quibus nummis demonstretur Jahven formâ animalis alicuius (velut aquilae) fictum esse. Cuius rei solida argumenta prolata non sunt. Atque *G. Dalman* (Palästinajahrbuch II, 1906, p. 44—50) sigillum commemorat, cuius in una parte litteris Hebraicis haec verba inscripta sunt: „Elischamae, filii Gedaljae", cum altera pars figuram viri ostendat, qua dominus caeli et terrae idemque deus vitae effictus sit; quam figuram in sigillo filii Gedaljae nihil aliud esse posse nisi Jahven. At id sigillum adulterinum esse *H. Vincent* (Revue biblique N. S. VI, 1909, p. 121—127) demonstravit. Nechustân autem (2 Rg 18, 4) ut „simulacrum dei" et quidem ut „symbolum Jahvae" cultum esse (*J. Benzinger*, Hebräische Archäologie p. 328. Tübingen 1907) neque eo, quod Israelitae (sacerdotum mentio non fit) ei suffimenta incendebant (verbum *qiṭṭêr* etsi de sacrificiis quoque legitimis, tamen plerumque de sacrificiis non legitimis usurpatur), neque eo, quod „ad Mosem referebatur", demonstrari potest; neque enim Nm 21, 9 Mosi ut res cultus attribuitur aut ex verbis „usque ad id tempus" (2 Rg 18, 4) colligi potest ei iam aetate Mosaica suffimenta incensa esse.[3]

Adnotatio. — Num Judaei in Elephantine-Syene commorantes simulacra deorum habuerint, non constat. Respiciendum autem est ex ruderibus domorum,

---

[1] Falso igitur *Frd. Delitzsch* (Babel und Bibel. Ein Rückblick und Ausblick. p. 39. Stuttgart 1904) contendit incolas regni decem tribuum duos vitulos in urbibus Dan et Bethel positos ut deos gentis coluisse, qui se ex Aegypto duxerint, eumque cultum cultu Baʿal et cultu Sumeriorum-Babyloniorum inferiorem fuisse.

[2] Ceterum simulacra taurorum saepius in Palaestina inventa sunt. In Tell es-Sulṭân (Jericho) caput tauri fictile effossum est. Museum, quod Pères blancs Hierosolymis exstruxerunt, caput tauri in finibus eorum inventum et figuras vitulorum fictiles ex sepulcro quodam prope vicum er-Râm sito depromptas continet. In vico er-Richâb (Rechôb) in Palaestina trans Jordanem sito iuvencus aeneus 7 cm longus effossus est. Etiam in vico Transjordanico er-Rummân, cuius nomen cum deo Rammân (Rimmôn) cohaerere videtur, simulacrum tauri in parietem domus insertum inventum est.

[3] *E. König*, Geschichte der alttestamentlichen Religion[3-4] p. 260.

ubi pars papyrorum inventa est, complura simulacra effossa esse, quibus fortasse dii finguntur. Nam quamquam dubium est, num ea simulacra Judaeorum ipsorum fuerint, tamen fortasse ea pro penatibus (teraphim) haberi possunt.

4. Sectatores religionis popularis ad ea inclinabant, quae voluptatibus corporis blandiuntur, ut consuetudini illi apud Cananaeos[1] multasque alias gentes antiquas, imprimis apud Babylonios[2] usitatae religionis causâ stuprorum faciendorum, quam scriptores biblici saepius commemorant atque acriter condemnant (Dt 23, 18 [Lv 19, 29]; 1 Rg 14, 24; 15, 12; 22, 47; 2 Rg 23, 7; Hos 4, 14 .al.) idque non solum quod homines ei dediti in Jahven infidi essent, sed etiam quod verae religionis de moribus praecepta violarent. Quantopere vero Israelitae religionis Jahvae studiosi cognoverint normam suorum morum aliorum hominum moribus superiorem esse ex Gn 34, 7 intellegimus, ubi stuprum per vim mulieri oblatum „res nefaria in Israel" vocatur, vel ex his verbis alicuius

---

[1] Gn 38, 14 narratur Thamar depositis viduitatis vestimentis velo se contexisse et ut meretricem opertam ad portam vici Enajim consedisse, cum more Canaanaeo ut *qedêschâ* i. e. femina deae Astartes honorandae causâ se prostituens videri vellet. Neque vero inde effici potest prostitutionem sacram iam aetate patriarcharum apud Israelitas quoque usitatam fuisse, nam Juda non ad ullum sacrarium ibat, sed ad oves tondendas ascendebat. Neque demonstrari potest Thamar in sacrario quodam ei se prostituisse.

[2] Velut in codice Hammurapi § 178—182 de feminis, quae deorum servitio addictae pudicitiam prostituebant, ut de re, quam nemo miretur vel repudiet, agitur. Immo vero apud Babylonios lege statutum erat unamquamque feminam semel in vita honoris deae Mylitta sive Ischtar causâ se prostituere debere, quem morem Herodotus (Hist. 1, 199) iuste indignatus *αἴσχιστον τῶν νόμων* vocat. *S. Landersdorfer* (Die Kultur der Babylonier und Assyrier [Sammlung Kösel 61] p. 123. Kempten-München 1913) contendit narrationem illam Herodoti Babyloniorum monumentis non modo non confirmatam, sed refutatam esse. Quod nullis argumentis demonstravit. Fortasse dicendum est ex illis litterarum monumentis effici non posse omnes feminas religionis causâ se prostituere debuisse (cf. *E. König*, Theologie des AT[3.4] p. 89). Neque in epistula Jeremiae (Bar c. 6) v. 42s. commune eius modi officium commemoratur (*αἱ γυναῖκες*). Ceterum concedendum est in litteris quoque Babyloniis sublimiores de moribus cogitationes praedicantur, imprimis in secunda tabula Schurpu, sed eae tantum formâ interrogationum enuntiantur (cf. *H. Greßmann*, Altorientalische Texte und Bilder zum AT I, p. 96—98), velut:

„Patremne vel matrem contempsit, sororine male dixit?
. . . . . .
Dixitne sibi contraria, ut aut postquam aliquid negavit, rursus affirmaret, aut postquam affirmavit, rursus negaret?
. . . . . .
Intravitne domum vicini sui?
Appropinquavitne uxori vicini sui?
Profuditne sanguinem alterius?
Rapuitne vestem alterius?"

Quae praeceptis decalogi 4—10 similia esse manifestum est.

puellae: „Nequaquam, frater mi, ne opprimas me, quoniam sic non fit in Israel" (2 Sm 13, 12).[1] Conferas etiam verba Abraham Gn 20, 11: „Dixi (mecum i. e. cogitavi): Omnino non est timor dei (et propterea non boni mores sunt) in hoc loco." Nm 23, 9 verba Bileam: „Hic populus (Israeliticus) solus habitat et inter gentes non numeratur" i. e. singularem condicionem in historia cultus humani obtinet. 1 Rg 8, 53: „Tu separasti eos (Israelitas) tibi in hereditatem ex universis gentibus terrae." Praeterea videas Gn 39, 9; Ex 22, 16; Dt 22, 21; 27, 20—23; Jos 7, 15. Jdc. 19, 24. 30; 20, 6. 10; Jer 29, 23. Ceterum sectatores religionis popularis etiam verae religionis praecepta de moribus ipsa aggressi sunt. Quod Jer 8, 8 dicitur: „In mendacium convertit (legem) stilus mendax scribarum" (i. e. legis peritorum, quorum erat verba legis non tantum describere aut recitare, sed etiam interpretari), de eius modi legis interpretationibus cogitandum est, quae a sectatoribus religionis popularis factae sunt.

Si quaeras, quo modo mores Israelitarum religionem popularem sequentium diversis aetatibus se habuerint, dicendum est primo consuetudines vitae nomadum, deinde mores Cananaeorum, denique cultus humanitasque Gaecorum in eos vehementer pertinuisse. Ac dum Israelitae sine tectis ac sedibus passim vagabantur, imprimis vita humana et res privatae parvi aestimabantur; impudico autem Canaanaeorum deorum cultu Israelitae ad praecepta de morum probitate contemnenda pellecti sunt; Graecorum denique philosophia, imprimis Epicuri, qui voluptatem summum bonum esse docebat, praecipue duobus a. Ch. n. saeculis apud Israelitas in vita instituenda multum valuit.

5. Quattuor locis Pentateuchi h o s t i a e h u m a n a e gravissimarum poenarum comminatione vetantur: Lv 18, 21; 20, 1—5; Dt 12, 31; 18, 9—12. Quos locos a Mose profectos esse nonnulli viri docti negaverunt iidemque eos postea insertos esse contenderunt. At si Moses leges dedit, quibus Israelitae a gentibus ethnicis discernerentur, id quod negari non potest, certe existimare licet eas praeter formas cultus imprimis ad prostitutionem sacram et cultum Moloch pertinuisse. Num autem Moses ipse eas leges conscripserit, hîc diiudicare opus non est; id quidem constat eas inter primas conscriptas esse.

---

[1] Quod crebro dictum est in vetere testamento virum de coitu liberum ac solutum esse nisi si de alterius uxore agatur (*J. Benzinger*, Hebräische Archäologie[2] p. 105. Encyclopaedia biblica, col. 2946), id locis Job 31, 1 et Koh 9, 9 refutatur (cf. *F. Böhl* in „Bibliotheca sacra" 1920, p. 188).

Ab iis autem, qui religionem popularem amplectebantur, infantes quoque immolatos esse ex 2 Rg 16, 3 (2 Chr 28, 3); 17, 16s; 21, 6 (2 Chr 33, 6); Jer 7, 31; 19, 5; 32, 35; Ez 16, 20s; 20, 31; 23, 37. 39; Ps 106, 37s. apparet. Cum autem locis allatis plane dicatur Israelitas, qui a Jahve defecerunt, *diis peregrinis* infantes immolasse, qui illas victimas cum cultu Jahvae coniungi posse existimatum esse dicunt,[1] errant.

Neque pro ea opinione locus Ez 23, 39 afferri potest, quod eo ipso loco de coniunctione cultus falsorum deorum cum ficto simulatoque cultu Jahvae agitur. Atque qui Ez 20, 31 „idola" (*gillûlîm*) secundum v. 32 simulacra Jahvae intellegenda esse dixerunt,[2] id ad arbitrium contenderunt. Si igitur Jahve Ez 20, 25s., id quod dictum est, praeceptum de victimis humanis dedisset, oporteret eum iussisse *alios deos* infantibus immolatis coli; quod fieri non potest, ut deo Israelitarum tribuatur.

Nonnulli ut probent victimas humanas ad legitimum cultum gahvae pertinere, verba Mich 6, 7 afferunt: „Numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris pro peccato animae?" At etsi prophetam opinionem eorum Israelitarum impugnare voluisse iudicaremus, qui se infantibus immolatis Jahven placare posse putabant, certe propheta illam opinionem cum praeceptis Jahvae (per Mosen v. 4) traditis discrepare dixisset (v. 8). Quare illa opinio legitimae religioni Israelitarum ab aetate Mosis exercitatae non conveniret, ut tantum sectatoribus religionis popularis attribui possit. Sed ne hoc quidem ponendum est prophetam opinioni illi Jahven victimis humanis placari posse adversari voluisse; immo vero eius verba hyperbolica quaedam locutio intellegenda sunt, qua quam maxime affirmetur reconciliationem cum deo minime in hominis potestate positam esse et hominem ad deum propitiandum ne gravissima quidem recusare ac se suaque omnia divino arbitrio committere paratum esse debere.

Quod deus Abraham filium unicum mactari iussit et Abraham id facere voluit (Gn 22, 1—13), idcirco religionis Jahvae victimae humanae nequaquam propriae erant. Nam primum deus, ut fidem patriarchae temptaret, illud sacrificium *non re vera*, *sed animo* fieri

[1] Velut *B. Stade* (Biblische Theologie des AT I, p. 244) morem infantium immolandorum in cultum Jahvae penetravisse contendit.

[2] Ita praeter alios *R. Smend*, Der Prophet Ezechiel (Leipzig 1880) p. 133.

voluit; quare deus manum patriarchae in ipso ictu inhibuit, sola voluntate contentus, simulque ei detestandum gentilium morem hominum immolandorum improbans suppeditavit aliam victimam. Deinde Abraham eam temptationem suscepit non arbitratus Jahvae victimas humanas placere, sed divinae voluntati obtemperans et confisus deum filium suum vel a mortuis suscitare posse (Hebr. 11, 17—19).

Nm 25, 1—5 Israelitae propter idololatriam in deserto peractam (i. e. ad iram Jahvae placandam) occidi iubentur et 2 Sm 21, 1—14 narratur David Gibeonitis septem posteros (duos filios et quinque nepotes) regis Saul interficiendos tradidisse, ut culpam quandam eius regis expiaret iramque Jahvae averteret. E quibus locis nonnulli colligendum esse existimant gentem Israeliticam Jahven sibi suscensentem noxiis vel, si eius generis copia deficiebat, servis et captivis interfectis placari posse credidisse. Sed non est causa, cur ad legitimum Jahvae cultum hostias humanas pertinuisse dicas.

Prorsus inepte nonnulli contendunt sacrificio Jephtae (Jdc 11, 30—40) comprobari Israelitas aetate iudicum homines Jahvae immolasse. Nam verba voti (v. 30s.), quamquam eo spectare videntur, tamen ita intellegenda sunt, ut ex voto exsoluto colligas. Atqui narratur filiam Jephtae non vitam, sed virginitatem suam flevisse (v. 37) et verba: *wehî' lô' jâde'â 'îsch* = et ipsa non cognovit virum (v. 39) non virginitatem puellae asseverare, sed ita intellegenda esse videntur, ut puella perpetuae virginitati addicta sacrario et rebus sacris per totam vitam serviverit. E textu biblico haud dubie apparere filiam Jephtae immolatam esse[1] contendi non potest. Fortasse potius dicas e textu in obscuro manere, quo modo votum solutum sit.[2]

6. Sectatores religionis popularis sperabant deum Israelitis libertatem et dominationem finitimarum gentium daturum, se ipsos autem impunitos fore. Quare „prophetae populi", cum scelerum poenas minari deberent, malis blandiebantur atque in futurum nihil

[1] Id quod complures interpretes existimant. Conferas *V. Zapletal*, Das Buch der Richter (Münster i. W. 1923) p. 185—196.

[2] Videas *A. Kamphausen*, Das Verhältnis des Menschenopfers zur israelitischen Religion. Bonn 1896. *E. Mader*, Die Menschenopfer der alten Hebräer und der benachbarten Völker. Ein Beitrag zur alttestamentlichen Religionsgeschichte (Biblische Studien XIV, 5—6) Freiburg i. Br. 1909. *A. Schamberger*, Das Menschenopfer im AT. Zeitz 1912. *E. König*, Geschichte der alttestamentlichen Religion[3-4] p. 219—225.

nisi pacem et felicitatem praedicebant eoque multorum conversionem impediebant. Mich 3, 5: „Proclamant pacem" i. e. prospera quaeque. Jer 5, 12: „Gladium et famem non videbimus" et 23, 17: „Pax erit vobis . . . non veniet super vos malum" i. e. non est, quod metuatis, nam a Jahve edocti novimus tranquille et placide vos vitam traducturos esse. Jer 6, 14; 8, 11. Ez 13, 10. 16., quibus locis ii prophetae populo persuadere dicuntur pacata et tranquilla fore omnia: „Pax, pax (erit), cum tamen nulla futura sit pax." Hoc quoque „prophetae populi" putabant promissum messiam gentem Israeliticam potentissimam et felicissimam in orbe terrarum redditurum esse, gentes autem ethnicas regni messiani participes non fore.[1] Quam ob rem Israelitae religioni populari dediti „diem Jahvae" desiderabant (Am 5, 18a) rati eum ipsis diem gloriae ac salutis, hostibus autem diem interitus fore. Amos autem iis „Vae!" acclamat. Neque vero iis crimini dat, quod „diem Jahvae" desiderant, crimini autem dat, quod falso ac prave de eo cogitantes paenitentiam non agunt. Ob quam rem Amos iis „Vae!" acclamat et demonstrat, quid ille dies genti Israeliticae allaturus sit: „tenebras, non lucem" (v. 18b). Quare Jer 4, 9 „prophetae falsi", qui tranquilla omnia mansura promiserant, „stupere" dicuntur, ubi videbunt multo aliter evenisse, quam ipsi praedixerunt.

*

Ex iis, quae supra exposuimus, apparet Israelitas, qui religionem popularem sequebantur, nomine dei Jahvae excepto e gentilium religionibus quidquid recipi poterat, recepisse. Quamquam autem non parvi aestimandum est, quod nomen Jahvae eiusque cultus retenta sunt, et quamquam Jahve etiam pluris fiebat quam alii dii, id quod iam e nomine *Mikâjâh* vel *Mikâjâhû* (= Quis ut Jahve?), quod crebro invenitur, elucet, tamen multi Israelitae uno cultu Jahvae a gentilibus differre videntur.[2] Nihilo minus prorsus falsum esset, si religionem popularem Israelitarum gentilem appellares.

[1] Contra in libro Jona historia ejus prophetae narratur, ut monstretur etiam gentes ethnicas ad Jahven agnoscendum vocatas esse et gaudere oportere, quod in regnum veri dei excipiantur, Jahven igitur non solum Israelitarum, sed etiam gentium ethnicarum deum esse.

[2] *R. Kittel*, Geschichte des Volkes Israel II[6], p. 64.

De cultu religionis popularis pauca prodita sunt. Nam nisi e scriptis prophetarum posterioris aetatis atque nonnullis locis librorum ad historiam pertinentium colligere non possumus, quae in multis sacrariis parvis, in aris privatis, in domibus singulorum Israelitarum facta sint.[1]

B) Nonnulli viri docti recentissimae aetatis (imprimis *R. Kittel* et *A. Jeremias*)[2] religioni populari Israelitarum novum argumentum dant, cum ea dicta ad religionem vel mores spectantia, quae in libris historiarum veteris testamenti *non vituperantur*, ad religionem popularem pertinere et religioni legitimae contraria esse dicunt. Iniuriâ tamen; nam non solum eae partes veteris testamenti, quae a prophetis manaverunt, a cultoribus religionis legitimae conscriptae sunt, sed etiam scriptores historiarum gentis Israeliticae eandem religionem profitebantur eiusque violationes acriter vituperabant. Velut eam partem populi, quae ad cultum dei Baʿal Peʿôr defecerat, vehementer impugnaverunt (Nm 25, 1—9; 31, 16. Jos 22, 17). Iidem plane neque ambigue restiterunt, ne Jahve imagine vituli aurei coleretur (Ex c. 32), et quod vituli aurei in urbibus Dan et Bethel constituti sunt, esse „peccatum Jerobeam, quo fecit peccare Israel", dixerunt (1 Rg 12, 30; 13, 14; 14, 16; 15, 26. 30. 34; 16, 2. 19. 26). Iidem regem Ahab cultu Baʿal Tyrii instituto a religione legitima maxime turpissimeque defecisse contenderunt (1 Rg 16, 31—33; 18, 18—40). Diligenter igitur distinxerunt quae ad veram religionem Jahvae pertinerent, ab iis, quibus ea violaretur. Quae cum ita sint, solae eae opiniones ritusque religionis, mores ac consuetudines ad religionem popularem pertinere existimari possunt, quae *in omnibus partibus* veteris testamenti repudiantur. Sequitur, ut iis, qui dicta librorum historiarum veteris testamenti, quae in iis *non vituperantur*, ad religionem popularem pertinere dicunt, adstipulandum non sit.

Quae dicta veteris testamenti ad religionem vel mores pertinentia cum verbis alicuius prophetae discrepant, ea ex nonnullorum opinione ad religionem popularem pertinere existimanda sunt, ut ieiunium, quod Lv 16, 29. 31; 23, 27. 32; Nm 29, 7 praescribitur, cum Jes 58, 6s. dicatur: „Nonne hoc est ieiunium, quod (ego Jahve) elegi, solvere constrictiones impietatis, laxare fasciculos iugi, attritos dimittere" etc. At eam ob causam ieiunium religionis legitimae esse non desinit, quoniam loco allato tantum ieiunium sine recta voluntate repudiatur. Tale ieiunium etiam Sach 7, 4—13 (8, 19) vituperatur, quod non sit in gloriam et ho-

[1] *R. Kittel*, ibidem p. 190.
[2] Etiam *J. G. Frazer*, Folklore in the Old Testament. London 1919.

norem dei. Neque magis dici potest consuetudinem vestis lacerandae (signum luctus) ad religionem popularem pertinere, quia Joel 2, 13 admonet: „Lacerate cor vestrum et non vestimenta vestra!" Item falso dicitur circumcisionem ad religionem popularem pertinere, propterea quod Jeremia 4, 4 Judaeos cohortatur: „Circumcidimini Jahvae (i. e. tollite ex animo vestro, quae divinae voluntati repugnant) et removete praeputia cordis vestri (i. e. pravas cupiditates)!" Ceterum respiciendum est etiam religionem legitimam paulatim excultam esse. Nam dubium non est, quin ab Abraham usque ad Mosen, a Mose usque ad Amos et Jesaia, ab iis usque ad Jeremia Israelitarum eruditio et doctrina religionis ita progressa sit, ut semina divinâ revelatione in gente illa posita paulatim pubescerent et maturescerent. Et quod id negari non potest, et illud tenendum est ad religionem popularem Israelitarum tantum eas opiniones caerimoniasque religionis pertinere, quae *in omnibus partibus* veteris testamenti repudiatae sunt.

Conferas *E. König*, Die sogenannte Volksreligion Israels eine fragwürdigste Größe der alttestamentlichen Theologie p. 16—18 (Beiträge zur Förderung christlicher Theologie XXV, 1) Gütersloh 1921.

1. Atque primum dictum est, antequam „prophetae scribentes" exsisterent, religionem popularem Israelitarum *religionem nationis universae* fuisse atque opinionem illam, ex qua Jahve nihil aliud nisi „deus terrae et gentis" et, ut alii dii in alias gentes dominarentur, ita Israelitarum dominus esse putabatur, ad eam religionem pertinere, quamquam iam in antiquissimis scriptis sacris Jahve pro creatore universitatis rerum et iudice universae terrae habetur.

Israelitas antiquos esse deos gentilium credidisse nunc quidem multi viri docti arbitrantur, sed iniuriâ, quippe cum hoc unum concedi possit haud paucos Israelitas, praesertim cum tota gens magnis calamitatibus affecta erat, id credidisse itaque religiones confudisse. Velut *R. Kittel* (Geschichte des Volkes Israel II,[6] p. 188. 307. Die Religion des Volkes Israel p. 58s. Leipzig 1921) ex opinione populi inter Jahven et deos aliarum terrarum non multum interesse dicit; nam cum iudicium suum de deo ad rationem illam: „Cuius regio, eius religio" dirigeret, in terra Canaan, ex quo Israelitarum facta esset, Jahven regnare putavisse, extra eam autem ius imperii penes alios deos esse.

Quod ut demonstretur, verba, quae Jdc 11, 24 Jephta regi Ammonitarum dicit, afferuntur: „Nonne, quod possidere te fecit (i. e. possidendum tibi tradidit) Kemosch, deus tuus, id possides (id te possidere par est), et omne, quod possidere fecit Jahve, deus noster, a facie nostra, id possidemus?"[1] Quae verba non ita interpretanda

[1] Quae verba quin a Jephta regi Moabitarum dicta sint, dubium non est; nam Kemosch erat deus Moabitarum (cf. praeter inscriptionem regis Mesa Nm 21, 29. 1 Rg 11, 7. 33; 2 Rg 23, 13. Jer 48, 7. 13. 46). Deus Ammonitarum erat Milkom. Sunt qui putent, cum Kemosch et Milkom tantum diversa nomina eiusdem dei sint, nomen Kemosch etiam de deo Ammonitarum usurpari potuisse. At ex loco allato id non clare elucet, quod et in versibus, qui antecedunt, et statim rursus in v. 25 de Moab agitur. — *V. Zapletal* (Das Buch der Richter p. 178 s.) existimat nomen Kemosch postea demum insertum esse.

sunt, ut Jephta esse Kemosch crediderit, sed ita, ut Jephta iis opinioni regis ethnici tantummodo se accommodavit. Itaque Jephta contra regem Ammonitarum utitur eo argumento, quod dicitur ad hominem, atque ex iis, quae ille rex sibi ipse persuaserat, ratiocinatur: Quae deo tuo in bellis adiutore te possidere putas, ea tibi iure deberi et a te possideri existimas; nos ea iuste possidere non censebimur, quae deo nostro nobis donante et victoriam praebente possidenda accepimus? Ceterum verba Jephtae v. 27 respicias: „Iudicet Jahve, iudex (ille summus et iustissimus), hodie inter filios Israel et inter filios Ammon", e quibus apparet Jahven non solum Israelitarum, sed etiam Ammonitarum, immo vero omnium gentium res gubernare, ita ut omnibus ceteris diis maior existimandus sit.

Praeterea locus 1 Sm 26, 19 affertur, ubi memoriae proditur David, cum ei ab hostibus presso in terram Philistaeorum fugiendum esset, luxisse, quod illi sibi quasi dicerent: „Vade, servi diis alienis!" E quibus verbis effici Jahven deum gentilem, cuius potestas terminis terrae Canaan circumscripta sit, existimatum esse.[1] At locus, ubi Jahve habitat, non cum locis, ubi apparet, confundendus est.[2] Israelitae iam multo ante experti sunt Jahven non certo cuidam in terra loco addictum esse; nam idem, qui se Mosi ad montem Horeb revelavit, gentem suam apud mare rubrum ab hostibus persequentibus defendit; idem ei de monte Sinai legem dedit; idem eam in terra Canaan expugnanda adiuvit. Atque cum iam in antiquissimis historiis Jahve de caelo appareat,[3] existimandum est Israelitas iam

[1] Velut *K. Budde* (Die Bücher Samuel p. 171. Tübingen-Leipzig 1902) verbis allatis dogma illud „Cuius regio, eius religio" expressum esse iudicat. *W. Nowack* (Die Bücher Samuelis p. 132. Göttingen 1902) loco allato David Jahven deum gentis suae, praeter quem dii aliarum gentium sint easque regant, esse cogitare dicit. *H. F. Smith* (A critical and exegetical commentary on the books of Samuel p. 233. Edinburgh 1904) ad eum locum adnotat: „The inheritance of Yahweh is the territory of Israel."

[2] *G. A. Barton* quoque (The religion of Israel p. 4. 78. New York 1918) utrumque confundit.

[3] Velut Gn 11, 5 narratur Jahven, ut urbem et turrim, quam homines usque ad caelum aedificaturi erant, spectaret, descendisse. *B. Stade* (in „Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft" XIV, 1894, p. 275; XV, 1895, p. 162) hîc non de caelo ipso, sed de deorum monte ad septentriones versus sito (*har mô'êd* Jes 14, 13. *Meru* et *Kailâsa* Indorum, *Hara-berezaiti* [*Alburdsch*] Persarum, *Olympus* Graecorum, *Asgard* Germanorum) agi putat. Quod ob id ipsum verisimile non est, quod fabula montis deorum ab Israelitis nunquam accepta esse videtur. Ceterum secundum mythologiam quoque Babyloniam deorum mons in ea regione *caeli*, quae longissime ad septentriones versus spectat, situs est (*G. Westphal*, Jahwes Wohnstätten nach den Anschauungen der alten Hebräer [XV. Beiheft zur Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft] p. 45. Gießen 1908). — Gn

pridem perspexisse caelum esse locum habitationis Jahvae. Sed Jahve in tentorio quoque conventus in urbe Silo erecto sedem suam collocaverat (Jos 18, 1. Jdc 18, 31; 1 Sm 1, 3).[1] Quare Palaestina „domus Jahvae" nominabatur (Hos 8, 1; 9, 8. 15;. Sach 9, 8) et proprius locus, ubi Jahve apparet, habebatur. Unde ille dolor David explicatur, quod ex ea regione pellatur, quam Jahve, cuius solium in caelo sit, propriam suam in terra sedem elegerit.[2] Falso igitur contenditur loco 1 Sm 26, 19 dici David putavisse Jahven tantum deum Israelitarum esse. Quae cum ita sint, ii, qui dixerunt opinionem illam, Jahven tantum „deum terrae et gentis" esse, ad religionem popularem pertinere locis allatis id comprobare non possunt.[3]

Falso locus Ex 33, 1—3 ex quo Jahve irâ in gentem Israeliticam incensus non ipse in terram Canaan proficisci vult, affertur, quo demonstretur Jahven deum, qui exiguis montis Sinai finibus contineatur, intellegendum esse. Immo vero ex illo loco apparet Jahven non inter eius montis terminos coercitum esse. Nam non dicitur Jahven in terram Canaan nunquam ascendere atque in monte Sinai remanere, sed id solum dicitur „in medio populi" eum ascendere nolle: „Ego enim non ascendam in medio tui" (v. 3. cf. v. 5). Quae verba cum Ex 29, 45s. conectenda sunt, ubi Jahve sollemniter promittit „in medio filiorum Israel" se habitaturum. Ergo Jahvo tantum perpetuam illam praesentiam revocat.

24, 7 Jahve „deus caeli" et v. 3 „deus caeli et terrae" nominatur. Quibus verbis Jahvae potentiam ad totum caelum pertinere significatur, etsi non plane dicitur Jahven in caelo habitare. Ceterum appellatio „dei caeli et terrae" in oriente antiquo longe lateque est divulgata. Velut deus Babyloniorum Marduk *šar šamê u irṣitim* (= rex caeli et terrae) nominatur'. Item in textibus Boghazköj deo Teschub cognomen *bêl šamê u irṣitim* (= dominus caeli et terrae) attribuitur. Etiam in papyris Aramaicis a Germanis in insula Elephantine inventis atque ab E. Sachau (Berolini 1911) editis Jahve saepius „deus caeli" appellatur (ut 1, 2. 27 s; 2, 2; 11, 3). — Gn 28, 12 scalis, per quas angeli adscendebant et descendebant, terra cum caelo, domicilio dei, coniungitur. — Ex 3, 8 ad verbum *wâ'êrêd* (descendi) haud dubie „de caelo" supplendum est. Ex 24, 10 „opere sapphirino sub pedibus Jahvae" significatur Jahven in caelo habitare putari, quia Hebraei vocabulo *saphîr* caelum caeruleum appellant. Ex 19, 11. 18. 20; 34, 5 Jahve in montem Sinai descendisse dicitur, i. e. de caelo. Quod *B. Stade* (Biblische Theologie des AT I, p. 104) Jahven hîc non de caelo, sed de nimbo descendisse dicit, id ex eius opinione manat, qua Israelitas post exsilium demum credere coepisse Jahven in caelo habitare putat (ib. p. 291), contra quam opinionem *H. Greßmann* (XXXIII. Beiheft zur Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft 1918, p. 212) iam in epistulis Amarna (circiter 1400 a. Ch. n.) *baʿalu ina schamê* (= Baʿal in caelo) commemorari admonet.

[1] Quod sacrarium Mosaicum „tentorium conventus" (*'ôhel môʿêd*) nominatur (Ex 27, 21; 28, 43; 29, 4. 10s. 30. 32. 42. 44; 30, 36. Nm 17, 19), eo nihil aliud significatur nisi id locum esse, ubi Jahve potissimum se revelet.

[2] Conferas etiam verba David Ps 23, 6: „Iterum habitabo in domo Jahvae."

[3] *E. König*, Die sogenannte Volksreligion Israels p. 19—21.

Quod nunc complures viri docti *antiquiores Israelitas* Jahven tantum deum loci cuiusdam esse putavisse dicunt, non respiciunt etiam *posterioribus temporibus* Jahven in templo adesse dici (velut Ps 26, 8; 27, 4; 28, 2; 61, 5; 63, 3) et in exsilio atque post exsilium auxilium divinum „ex Sion" exspectari (Ps 14, 7 = 53, 7. Sach 2, 14). Israelitae locum, ubi Jahve habitet, a loco, ubi appareat, discernunt, ut in oratione quoque, qua templum dedicatum est, 1 Rg c. 8, quamquam v. 39 et 42 caelum locus habitationis Jahvae appellatur, tamen v. 27 dicitur eum caelis caelorum capi non posse.[1] Eodem modo loci, ubi de Jahvae reditu in Sion agitur (Jes 52, 8. Sach 1, 16), explicandi sunt.[2]

2. Deinde dictum est ex multis veteris testamenti locis demonstrari posse dei intellectum sectatorum religionis popularis moralem non fuisse; nam deo eius religionis *iniustam iram* et *invidiam* et *partium studium* attribui.

a) Ac primum quidem haud pauci viri docti existimant compluribus locis biblicis i r a m (*'aph*) divinam i n i u s t a m esse videri i. e. morositati similem esse.

Dicunt Jahven ut hominem irâ exardescere atque sine causa, certe sine causa, quae perspiciatur, suscensere;[3] eum, cui irascatur, ad malum incitare, ut eum punire possit. Imprimis arcâ foederis, si quis ei nimis appropinquaverit, vehementer noceri; quamvis igitur gratum sit eam in bello adesse, tamen eius potentiam adeo timeri, ut ipse David cum Absalom bellum gerens eam domi relinquere malit (2 Sm 15, 25). Ita *R. Kittel* (Geschichte des Volkes Israel II,[6] p. 189. Die Religion des Volkes Israel p. 59). Idem *K. Budde* quoque (Die Bücher Samuel erklärt p. 328. Tübingen-Leipzig 1902), *Frd. Delitzsch* (Die große Täuschung I, p. 22s. Stuttgart-Berlin 1920), alii iudicant.

Quod ex locis allatis 1 Sm 6, 19; 2 Sm 6, 6—10; 15, 25s; 16, 10—12; 24, 1 non apparet. Atque 1 Sm 6, 19 memoriae proditur „septuaginta viros, quinquaginta milia virorum" urbis Bethsemes (hodie 'Ain Schems) mortuos esse, „cum arcam Jahvae vidissent." Primum autem respicias illum numerum haud dubie corruptum esse, quoniam hoc uno loco textus Hebraici minor numerus sine copula „et" maiori antepositus esset;[4] deinde neque in urbe Bethsemes neque in locis, quae circa erant, quinquaginta milia virorum habitare potuisse neque de populi conventu e tota Palaestina aut e locis longinquioribus, quae circa urbem Bethsemes erant, cogitandum esse;

[1] Conferas *G. Westphal*, Jahwes Wohnstätten nach den Anschauungen der alten Hebräer p. 163—167.

[2] *E. König*, Theologie des AT[3.4] p. 117.

[3] Ad ea verba *E. König* (Die sogenannte Volksreligion Israels p. 29) adnotat: Si quis dicat causam irae dei interdum perspici non posse, eum antea dicere non debere deum sine causa irasci.

[4] Id quod *E. König* (Historisch-kritisches Lehrgebäude der hebräischen Sprache. Leipzig 1881—97. II, p. 223) demonstravit.

denique verba „*chamischîm 'eleph 'îsch*" in nonnullis codicibus Hebraicis deesse et Josephum quoque Ant. Jud. 6, 1. 4 memoriae prodere tantum septuaginta viros interfectos esse. Quae cum ita sint, illa verba pro additamento, quod errore in textum receptum est, habenda sunt, quod additamentum, cum iam LXX interpretes et Chaldaeus id in textu ab iis usurpato scriptum legerint et varie explicare studeant, sane quidem vetus est. Cur autem septuaginta illi viri interfecti sint, e verbis „*kî râ'û be'arôn jahve*" perspicimus, quae non, ut complures rabbini ea intellexerunt, explicanda sunt: in arcam inspexerunt i. e. eam aperuerunt in eamque inspexerunt. Nam si ita interpretanda essent, scriptor biblicus arcam apertam esse haud dubie commemoravisset.[1] Verba allata potius ita intellegenda sunt, ut arca non „aspecta" tantum, sed „circumspecta" sit, quo cum reverentia in numen divinum violaretur, Jahve iure suscensuit (cf. Nm 4, 20, ubi qui arcam dei curiose viderit, ei moriendum esse dicitur). Nam verba „*râ'â be*" secundum usum loquendi (Gn 34, 1; Ez 28, 17; Ob v. 13; Ps 22, 18. al.) „aliquid studio nova videndi contemplari" vel „oculis protervis spectare" significant. Eo iudicio divino perculsi incolae urbis Bethsemes dixerunt: „Quis stare poterit coram Jahve deo isto sancto?" (v. 20). Senserunt se viris interfectis meliores non esse neque peccatores deo sancto appropinquare debere atque arcam foederis, ne amplius calamitates acciperent, ex urbe sua amovere student (v. 21).

Adnotatio. — Prior pars versus 19 in textu LXX interpretum haec verba continet: *Καὶ οὐκ ἠσμένισαν οἱ υἱοὶ Ἰεχονίου ἐν τοῖς ἀνδράσι Βαιθσαμύς.* Ceteri interpretes antiqui textum masorethicum nostrum legerunt converteruntque neque Josephus (Ant. Jud. 6, 1. 4) in suo textu biblico additamentum illud Alexandrinorum invenit. Rationes contra veritatem textus masorethici allatas iam *J. Wellhausen* (Der Text der Bücher Samuelis p. 65s. Göttingen 1871) probabiles non esse cognovit.

Cum David arcam foederis e domo Abinadab transveheret, Uzza, qui iumenta egit, ne arca unâ cum plaustro procumberet, manum ad eam retinendam extendit. „Propter illud delictum" (*'al ha-schal*) Jahve eum repentina morte multavit (2 Sm 6, 6s; 1 Chr 13, 9s.). Uzza igitur in se admisit, ut reverentiam violaret parumque confideret Jahven ipsum arcam foederis tutari posse; quo factum est,

[1] *N. Peters* (Beiträge zur Text- und Literarkritik sowie zur Erklärung der Bücher Samuel p. 198—201. Freiburg i. Br. 1899) pro *kî râ'û* cum interprete Syrio *kî jare'û* (= quod timebant) legendum esse putat. Quod ob id ipsum fieri non potest, quod verbum *jârê'* cum *be* non conjungitur.

ut Jahvae ira in eum exardesceret. Atque David prope deum, qui omnem irreverentiam severe puniret, in metu fuisse (2 Sm 6, 9; 1 Chr 13, 12) facile intellegi potest. Scriptor igitur biblicus ignorat opinionem illam hac aetate late diffusam Jahven cum arca foederis coniunctum in homines sibi appropinquantes neque pietatis neque impietatis eorum ratione habitâ potentia atque ira usum esse. Arcam autem dei ei soli, qui voluntatem divinam violaverat, perniciei fuisse e multis emolumentis, quae arcâ receptâ domui Levitae Obed Edom contigerunt (2 Sm 6, 11s.), perspicimus. Item Philistaei, qui arcam dei super plaustrum posuerunt, nullum detrimentum acceperunt (1 Sm 6, 11) neque Levitae, qui arcam ab illo plaustro deposuerunt, quidquam mali passi sunt (ib. v. 15).

A. Schulz (Die Bücher Samuel II, p. 70. Münster i. W. 1920) existimat Uzza apoplexia correptum perisse, populum autem eum propter arcam foederis contra legem attactam mortuum esse putasse. Quod probari non potest. Aliter *F. X. Kugler* (Von Moses bis Paulus p. 259—262. Münster i. W. 1922): David cum arcam foederis e domo Obed Edom in montem Sion transvehendam curaret (1 Chr c. 15), plane dixisse nisi Levitis nemini licere arcam portare (v. 2). Inde colligi posse sacerdotes et Levitas recusavisse, ne arcam e domo Abinadab portarent. Quare David arcam laicorum operâ (et propterea in plaustro) in montem Sion transportare conatum esse. Uzza autem poenam mortis solvisse, quod, quamquam laicus erat, arcam attigerit.

Locis 2 Sm 15, 25s. et 16, 10—12 de iniusta dei ira agi minime dici posse manifestum est.

Loco 2 Sm 24, 1 memoriae proditur denuo iram Jahvae contra Israel exarsisse atque regem David commovisse, ut populum numeraret. Sunt qui dixerint ex eo loco apparere iram Jahvae peccato humano priorem esse. Ad id haec dicenda sunt: Loco 2 Sm 24, 1 narratio 2 Sm 21, 1—14, ubi Jahve Israelitas fame trium annorum castigasse dicitur, rursus excipitur.[1] Qua poena ut Israelitae pro peccato quodam affecti sunt, ita recens ira Jahvae ad peccatum aliquod referenda est, quod, cum proprie non commemoretur, in rebellione ab Absalom et Seba contra regnum David a deo institutum factâ quaerendum esse verisimile est.[2] Quod autem ira Jahvae regem commovisse dicitur, ut populum numeraret, respiciendum est

[1] *P. Dhorme*, Les livres de Samuel (Paris 1910) p. 441. Sequitur, ut pars 21, 15—c. 23 postea demum (fortasse libris Chr conscriptis) in eo loco posita sit.

[2] *J. Schäfers* (in „Der Katholik" 1908, I, p. 128—140) demonstrare studet capite 24 caput 20, 1—22 (ubi de seditione a Seba post mortem Absalom adversus David concitata agitur) excipi.

numerationem populi per se peccatum esse non potuisse, quo David vel ipse deum offenderit vel populum coram deo poenâ dignum reddiderit. In nullo alio historiarum libro tam saepe de numeratione populi agitur quam in libris historiarum veteris testamenti. Ut numerus eorum, qui unâ cum patriarcha Jacob in Aegyptum immigraverunt, diligenter indicatur (Gn 46, 27). Moses bis iussu divino numerationem populi imperavit: prior post profectionem Israelitarum ex Aegypto in planitie ad montem Sinai (Nm 1, 1—46), posterior ante immigrationem in terram Canaan in planitie Moab (ib. 26, 1—51) facta est. Levitae iis numerationibus comprehensi non erant, sed separatim numerati sunt (ib. 3, 14—39; 26, 57—62). Saepius numerus eorum Israelitarum, qui arma ferre poterant, memoriae traditur. Quae cum ita sint, numeratio populi non temptatio dei existimata esse potest, id quod nonnulli dixerunt. Verum tamen numeratio illa a David instituta non solum ex ira dei in populum Israel profecta esse dicitur (2 Sm 24, 1), sed etiam a Joab ut impia in deum dissuadetur (v. 3) et a David ipso grave peccatum in deum agnoscitur (v. 10), a deo autem ut tale peccatum multatur (v. 12—15). Qua igitur in re peccatum David quaerendum est? Certe non in eo, quod populum numerari iussit, sed vel in eo, quo ad id impulsus est, vel in eo, quod in ea re spectabat. Atqui ex eo ipso, quod praeceptum de dimidio siclo in numeratione populi a singulis maribus in usum sacrarii solvendo (Ex 30, 11—16) neglexit, cognoscimus eum in numeratione populi non dei honorem spectavisse, sed superbiâ et vanitate ductum esse, id quod ex verbis quoque Joab (2 Sm 24, 3) apparet. Etsi autem David superbiâ et vanitate ducebatur, tamen non existimes eum ob id unum numerationem populi instituisse, ut magno eius numero gauderet. Sed respiciendum est numerationem populi ad rem militarem spectasse, quoniam a Joab aliisque ducibus militum facta est et 1 Chr 27, 23s. quoque, ubi iterum commemoratur, cum populi constitutione militari coniungitur. David igitur numerum civium scire volebat, non ut eorum multitudine gloriaretur, sed ut cognosceret, quot milites populus suus praebere posset; quamquam fortasse iudicandum non est eum cupiditate imperii augendi ad populum numerandum impulsum esse. Quae cum ita sint, peccatum regis erat nimia ambitio ac superbia, cum opes et gloriam regni in multitudine et fortitudine populi positas esse putaret. Et quia in multitudine populi eiusque peritia militari gloriari

vel superbire volebat, ideo Jahve ad eum puniendum populum vel per famem vel per bellum vel per pestem diminuturus postremo pestem misit (v. 13s.). Sed et populus non modo rebellione ab Absalom et Seba facta et contra deum et contra regem a deo institutum graviter peccaverat, verum etiam unâ cum rege superbiâ deliquerat, cum virtute sua confideret atque potentiam et magnitudinem imperii armis suis deberi gloriaretur. Iure igitur Jahvae ira contra Israel exarsit neque dici potest ex loco allato apparere eam peccato humano priorem esse[1].

Respiciendum est opinionem illam hominem aliquem a deo ad mala facta commoveri aliis quoque locis veteris testamenti inveniri, velut Jdc 9, 23 (Jahve Abimelech et Sichemitas discordes reddit), 1 Sm 2, 25 (Jahve filiorum Eli pontificis immodestiam in patrem confirmavit), 1 Sm 26, 19 (Jahve animum regis Saul in David incitat), 2 Sm 16, 10 (David Simei a deo sibi mala precari iussum esse dicit), 1 Rg 22, 23 (ubi Jahve prophetis, ut rex Ahab in bellum profectus periret, spiritum mendacii iniecisse dicitur).[2] Quibus locis ostenditur deum eos solos ad mala facta commovere, qui contra eum peccaverint ideoque eius iram in se converterint, deum igitur eum, qui peccavit, vel impellere, ut malitiam animi extrinsecus patefaciat, vel ei occasionem malitiae animi ostendendae praebere, ut ita vel malo facto ab improbitate avertatur, vel si eius animus malo facto nimis induruit, iudicio divino permittatur. Loco parallelo 1 Chr 21, 1 satan (*śâṭân*, nomen proprium sine articulo!) contra Israel consurrexisse et regem David, ut populum numeraret, concitasse dicitur. Ibi igitur malum iam non ad deum, sed ad satan refertur, propterea quod Israelitae posterioris aetatis, quae eorum opinio dei tum erat, iam non intellegere poterant David a deo ad aliquid mali concitatum esse (cf. Jac 1, 13), sed sibi persuaserant satan permittente deo regem, ut populum numeraret, concitavisse.[3]

---

[1] Israelitas minime putasse Jahven sine causa irasci atque eius iram e morositate quadam manare inde intellegimus, quod causam irae divinae reperire studebant, eam igitur ad officia ab hominibus violata referebant (cf. Ex 32, 11s. Jos c. 7).

[2] *P. Volz*, Mose (Tübingen 1907) p. 46. — Quae loquendi ratio ita explicatur, ut scriptores biblici hîc quoque deum ut causam primam respiciant, non, ut nos consuevimus, causam secundariam i. e. liberam hominis voluntatem spectent. Ad arbitrium vero dicitur Israelitas deum auctorem peccati esse credidisse; immo vero certa doctrina veteris testamenti est peccatum semper liberum factum hominis esse. Falso quoque nonnulli (ut *R. Kittel*, Judenfeindschaft oder Gotteslästerung? p. 56.) opinionem, qua deus auctor mali esse putatur, religioni populari Israelitarum adscribunt.

Ceterum ex 2 Sm 24, 1 non efficitur sanctitatem dei significare non posse deum peccatis vacare. Nam ibi non a Jahve ipso quidquam improbi, sed ab ira Jahvae poena sequens ducitur. Quare ex loco allato colligendum non est eius scriptorem sanctitatem dei non ita intellexisse, ut Jahve peccatis vacaret. Item apud Jesaia prophetam, quamvis sanctitatem dei vehementer praedicet (40, 25; 52, 10; 57, 15; 63, 10s.), tamen Jahve (45, 7) auctor et boni et mali est et quidem mali, ut homines vel puniat vel emendet.

[3] Aliter *E. König*, Geschichte der alttestamentlichen Religion[3.4] p. 233. 524 (adn. 1.).

Adnotatio. — *F. X. Kugler* (Von Moses bis Paulus p. 241—243. 505 s.) ad locum allatum haec adnotat: V. 1a narrari iram Jahvae contra Israel exarsisse, v. 1b causam eius irae indicari, quod rex David populum numerari iusserit. Quaeri, quis eum ad id impulerit. Certe non Jahven ita, ut auctor peccati habendus esset. Cum verba: „*vajiâset et-dâvîd bâhem*" converti possint: „aliquis David contra eos (Israelitas) impulerat", existimandum esse malum quendam consiliarium regem ad populum numerandum impulisse. Id eo verisimilius esse, quod David, quamquam Joab eum monuit, ut populum numerare omitteret (v. 3), tamen id imperavit. Qua cum interpretatione locum quoque 1 Chr 21, 1 coniungi posse, si respicias ibi vocabulum *sâṭân*, cum sine articulo positum sit, simpliciter „adversarium, inimicum, accusatorem" significare, quae vis contraria sit vocabulo *hasâṭân* i. e. inimicus κατ' ἐξοχήν (Job 1, 6ss; 2, 2ss. Sach 3, 1s.). Si respicias numerationem populi eo spectasse, ut ei nova vectigalia imponerentur, et ad res militares pertinuisse, manifestum esse illum consiliarium inimicum populi fuisse. Etiam illud fieri potuisse, ut 2 Sm 24, 1 quoque (ut 1 Chr 21, 1) initio vocabulum *sâṭân* positum, sed a librariis omissum esset. At sine necessaria causa corruptionem textus statuendam non esse. De populi autem culpa, ex qua ira Jahvae exarserit, non agi apparere ex verbis regis v. 10: „Peccavi . . . stulte egi" et v. 17: „*Ego* peccavi et *ego* inique egi; illi autem, oves, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me et contra domum patris mei."

b) Aeque falso deo religionis popularis i n v i d i a attribuitur. Nam Gn 3, 22 ante enuntiatum „ne extendat (Adam) manum suam et sumat quoque de arbore vitae et comedat et vivat in aeternum" verba „cavendum est", non „timendum est"[1] vel „est periculum"[2] inserenda sunt,[3] quoniam scriptor biblicus, id quod ex Gn 2, 4ss. 18ss. apparet, Jahven summum beneficiorum in homines auctorem esse existimabat. Non igitur invidiâ adductus deus hominem ab arbore vitae prohibuit, sed ut eum puniret, quia non obtemperaverat.[4] Item ad libidinem dicitur ex narratione Gn 11, 1—9 apparere Jahven timore hominum commotum, ne quid potentiae perderet, linguis confusis impedivisse, ne urbs et turris Babel aedificaretur.[5] An credibile est scriptorem biblicum Jahvae, omnipotenti universitatis rerum procreatori, pavorem hominum attribuisse?

Sunt qui dixerint monotheismum religionis veteris testamenti ex invidia Jahvae profectum esse.[6] Quod nullo sacrarum litterarum loco confirmari potest. Velut non post Ex 20, 3, ubi cultus aliorum deorum prohibeatur, sed post v. 5a de studio (*quin'â*) Jahvae agitur (*'êl qannâ'* = deus studiosus), quo vocabulo nihil

[1] *G. Gesenii* Thesaurus linguae Hebraicae et Chaldaicae VT II² (Lipsiae 1839) p. 1113a. *R. Kittel,* Judenfeindschaft oder Gotteslästerung? p. 34.

[2] *O. Procksch,* Die Genesis (Leipzig 1913) p. 31.

[3] Accentu Paseq (|), qui post vocabulum *ʿattâ* positus est, aposiopesis indicatur.

[4] *E. König,* Die Genesis p. 252.

[5] *R. Kittel,* Judenfeindschaft oder Gotteslästerung? p. 34.

[6] Velut *F. Küchler,* Der Gedanke des Eifers Jahwes im AT (in „Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft" XXVIII, 1908, p. 42—52). *A. C. Knudson,* The religious teaching of the OT² (New York 1919) p. 388.

aliud significatur nisi Jahven omni modo id egisse, ut foedus a se cum gente Israelitica initum servaretur. Cetérum cum pro vocabulo „studii" vocabulum „invidiae" ponitur,[1] veteris testamenti opinio dei detrectatur. Neque notio invidiae his verbis inest: „Ego sum Jahve, hoc est nomen meum, et gloriam meam alteri non dabo nec laudem meam sculptilibus" (Jes 42, 8. cf. 48, 11). Immo vero iis verbis sublimitas dei religionis veteris testamenti exprimitur.[2]

Adnotatio. — Apud Graecos quidem saepius de invidia deorum sermo est (cf. exempli causâ Herod. Hist. 1, 32; 3, 40; 7, 10). Plato demum deos invidiâ carere clare contendit (Phaedrus 247 A: *φθόνος ἔξω τοῦ θείου χοροῦ ἵσταται*). Quam prave autem Jahvae invidia attribuatur, *E. König* (Die Genesis p. 252. 268s. 429) demonstravit.

c) Quod autem deo religionis popularis, quoniam ex omnibus gentibus orbis terrarum Israelitas sibi potissimum elegerit atque cum iis foedus inierit,[3] p a r t i u m s t u d i u m attribuitur,[4] quaerendum est, quo modo cogitatio electae gentis Israeliticae ad religionem popularem notandam adhiberi possit, si quidem eadem cogitatio, id quod ex multis sacrarum litterarum locis apparet, in religione quoque legitima omnibus temporibus vigebat summique erat momenti. Electâ autem gente Israeliticâ deus in alias gentes non iniuste egit; nam deo etiam tum cr men iniuriae non obicias, si nonnullos homines aut ipsas gentes pluribus fortunae bonis aut maioribus ingenii facultatibus ornat. Item ex iis, quae scriptores veteris testamenti de singulari Jahvae cum gente Israelitica necessitudine dicunt, colligi non potest Jahvae nihil rationis fuisse cum ceteris gentibus. Utique eae a deo dimissae sunt, ut secundum leges, quas sibi ipsae constituissent, viverent; quamquam etiam iis deus nequaquam se in occulto continuit, id quod Act 14, 15s. (Vulg. 16s.) plane dicitur. Nam iis quoque scientiam gravissimarum rerum conservavit, ex qua haud ignorabant deum esse ac mundum administrare et colendum esse atque cultores eius praemium accepturos, non cultores poenas daturos. Quae fundamenta sunt religionis, si eam universe consideres. Atque deum, etsi Abraham eiusque posteritatem singulari beneficio suam gentem elegit foedusque cum ea iniit, tamen ceteras

[1] *E. Meyer*, De Papyrusfund von Elephantine p. 51. *J. Hehn*, Wege zum Monotheismus (Würzburg 1913) p. 18. *G. A. Barton*, The religion of Israel p. 67 s. *R. Kittel*, Die Religion des Volkes Israel p. 37.

[2] *E. König*, Theologie des AT[3.4] p. 179.

[3] Quam ob rem *J. Meinhold* (Einführung in das AT p. 278) gentem Israeliticam filium deliciae atque amorem dei („Schoßkind Gottes") vocat.

[4] Velut a *R. Kittel* (Judenfeindschaft oder Gotteslästerung? p. 34s.), *W. F. Badé* (The OT in the light of to-day, I, p. 73. Boston 1916). *E. Sellin* quoque (Das AT und die evangelische Kirche der Gegenwart p. 25. Leipzig 1921) cogitationem electae gentis Israeliticae religioni populari attribuit. — Contra quam opinionem videas *E. König*, Die sogenannte Volksreligion Israels p. 26—36.

gentes curâ atque amore non prorsus privavisse ex Gn 6, 18; 9, 9. 17 elucet, e quibus locis deus cum universo genere humano foedus pepigit. Ceterum etiam Israelitarum religionem, quamquam eorum propria erat,[1] tamen iam inde ab initio habitum universalem prae se tulisse ex eo apparet, quod deus Abraham patriarchae promisit fore, ut per eius posteros omnes orbis terrarum gentes ad veri dei cognitionem et cultum adducerentur: „In te benedicentur omnes gentes terrae" (Gn 12, 3; 18, 18; 22, 18). Neque neglegendum est eundem deum, qui gentem Israeliticam suam gentem elegit, etiam auctorem ac dominum mundi esse, „deum spirituum (qui insunt) omni carni", i. e. creatorem et conservatorem omnium hominum (Nm 16, 22; 27, 16) atque eum, qui gloriam suam etiam gentibus ethnicis revelare neque prius quiescere vult, quam totum orbem terrarum compleverit. Atque Jahven gente Israeliticâ electâ iustitiam non violasse et inde apparet, quod Israel tantum „filius primogenitus" appellatur (Ex 4, 22), ut praeter eum alii filii dei sint, quo nomine gentes significantur. [2] Cum ea opinione verba quoque dei: „Mea est omnis terra" (Ex 19, 5. cf. Dt 26, 18s; Am 3, 2a. al.) congruunt.

Complures viri docti recentioris aetatis[3] affirmant foedus Jahvae cum gente Israelitica initum ex libidine et iniustitia manasse inde cognosci, quod omnes gentes Israelitis exceptis a Jahve ipso cultui falsorum deorum proditas esse. Ad quod demonstrandum locum Dt 4, 19 afferunt, ubi nihil aliud dicatur nisi a Jahve ipso ceteris gentibus cultum corporum caelestium praescriptum, unam gentem Israelitarum ad Jahvae cultum electam esse. Quod prorsus falsum esse in libro, qui inscribitur „De polytheismi origine quae sit doctrina sacrarum litterarum patrumque ecclesiae" (Oeniponte 1911) p. 101—107 demonstravisse mihi videor. Ceterum videas *E. König*, Theologie des AT[3-4] p. 248—251.

[1] Omnes religiones orientis antiqui suae quaeque gentis propriae sunt, propterea quod dii rempublicam servare putabantur. In Assyria quidem deo Assur, in Babylonia posterioris aetatis deo Marduk, apud Minaeos triadi deorum Athtar-Wadd-Nikrah, apud Sabaeos triadi deorum Athtar-Haubas-Ilmukah id attribuitur. Etiam religio veteris testamenti gentis Israeliticae propria esse dici potest, quod Jahve deus Israelitarum erat, sed tantum tam diu eorum deus erat, quam diu ii praecepta eius observabant. Si ii, qui verbis: „Benedictus (sit) Jahve, deus Sem!" (Gn 9, 26a) Jahven deum *omnium* Semitarum significari putant, recte iudicarent, haec verba cum ceteris, quae in vetere testamento de rationibus Jahvae cum Israelitis intercedentibus traduntur, discreparent. At verba sequentia: „Eritque Canaan servus iis" i. e. posteris Sem (v. 26 b) respicienda sunt. Cum autem Cananaei in imperium Israelitarum cesserint, nomine Sem (v. 26 a) pars Semitarum maxime egregia, i. e. Israelitae, significatur. Item nomen Sem Gn 10, 21, ubi Sem „pater omnium Hebraeorum" appellatur, per synecdochen usurpatur. Conferas *E. König*, Geschichte der alttestamentlichen Religion[3-4] p. 35.

[2] Item rex quoque Israelitarum tantum „primogenitus, altissimus regum terrae" appellatur (Ps 89, 28).

[3] Imprimis *Frd. Delitzsch*, Babel und Bibel II (Stuttgart 1903) p. 35 s.

III

1. Quaerenti, e quibus f o n t i b u s opiniones caerimoniaeque ad religionem popularem Israelitarum pertinentes manaverint, respondendum est eas partim ex observantia *antiquarum* opinionum consuetudinumque sacrarum profectas, partim ex coniunctione cum *aliis gentibus*, quae Israelitis finitimae erant vel quibuscum Israelitae procedente tempore commercium habebant, receptas esse, partim in *Israelitis ipsis* exstitisse, idque aut ex erroribus mentis (divinationem, magiam, plurium deorum venerationem, victimas humanas) aut e studio rerum cultus oculis subiectarum (cultum imaginum) aut ex inclinatione animi ad libidines (perversam morum condicionem) aut ex stolida sui cupiditate (falsam exspectationem meliorum rerum futurarum). Ceterum nonnulli „prophetae populi" *ambitione* quoque impellebantur. Regno autem diviso primus rex decem tribuum eo tantum consilio, ut statui novi regni consuleret (ne populus Hierosolyma sacrorum causâ proficisceretur atque hac ratione ad domum David reversus a se deficeret) vitulos aureos in urbibus Dan et Bethel posuit (1 Rg 12, 28s.). Rex quoque Ahab nullâ aliâ causâ nisi origine Phoeniciâ impiae uxoris Izebel adductus cultui Baʿal Tyrii favebat (ib. 16, 31).

Origo religionis popularis inde quoque repetita est, quod prophetae de religione et moribus nimia postulaverint (*A. Kuenen*, Volksreligion und Weltreligion p. 148). At quod prophetae postulaverunt, cultum unius Jahvae, populus praestare potuit, sed e causis, quas modo commemoravimus, non praestitit.

Conferas *E. König*, Geschichte der alttestamentlichen Religion[3-4] p. 44.

2. Si quaeritur, utrum religio popularis an religio legitima apud Israelitas prior fuerit, haud dubie respondendum est religionem popularem priorem fuisse. Id inde apparet, quod ab Abraham et Mose religio sublimior a religione populari hereditate traditâ diversa initium cepit, cuius fundamentum monotheismus (non tantum monolatria Jahvae) fuit.

Religionem vero popularem minime fontem fuisse, unde religio sublimior Israelitarum sive religio prophetarum, quae vocatur, manaverit, inde elucet, quod eae religiones inter se discrepant. Quae discrepantia octavo a Ch. n. saeculo aliisque temporibus sane non tanta fuit, ut prophetae cultum ab aequalibus exercitatum cultum Jahvae esse negarent. Religio popularis ut iam non cultus Jahvae

esset, nisi aetate regum Manasse et Amon nunquam accidisse videtur (id quod supra demonstravimus). Sed etsi religio popularis aliis temporibus religioni legitimae non adeo opposita erat, tamen eae religiones inter se oppositae esse nunquam desierunt.

Neque illud dici potest religionem prophetarum cum religione populari eatenus cohaerere, ut „magni prophetae cultui humanitatique inimici" fuerint.[1] Quod quamquam saepe dictum est religionem popularem ex eo, quod potissimum Beduini (Arab. *bedawi*, plur. *bedu*) expetant, manasse, neque ex sacris litteris demonstrari potest atque eo ipso refutatur, quod nemo propheta leges Beduinorum, quas Rechabitae sequebantur (in tabernaculis vel tentoriis habitandi atque a vinearum et agrorum cultura abstinendi Jer 35, 7), comprobavit.[2] Quin etiam in imaginibus, quibus prophetae salutem futuram fidorum Jahvae cultorum describunt, formula loquendi invenitur: „Sedebit quisque sub vite sua et sub ficu sua" (Mich 4, 4; Sach 3, 10). Quae cum ita sint, religio prophetarum religioni populari contraria est neque cum ea cohaeret et recte *A. Kuenen*[3] religionem prophetarum non „ex gentis moribus ac disciplina manantem" appellari posse dicit, quoniam „non ex Israel, sed a deo" profecta sit.

Neque cum *G. Wildeboer*[4] dicendum est „Jahvismum a religione populari varia mutuatum esse". Nam sacrificium, quod receptum esse dicitur, non religionis popularis proprium fuisse dicendum est, quippe cum homines iam instinctu naturali moverentur, ut deo tamquam rerum omnium domino aliquas res offerrent, ut animum gratum summamque subiectionem testificarentur et reconciliationem a deo offenso impetrarent. Idem quadrat in preces, purgationes, de-

---

[1] *G. Wildeboer*, Jahvedienst und Volksreligion in Israel p. 31.

[2] Ne unum quidem ex prophetis Rechabitam factum esse iure dicit *W. Caspari* (Der biblische Friedensgedanke nach dem AT p. 19 [Biblische Zeit- und Streitfragen X, 7] Groß-Lichterfelde 1916) et *J. Meinhold* (Einführung in das AT p. 124) memoratu dignum esse existimat Jeremiam (c. 35) Rechabitarum fidem quidem in auctorem societatis suae eiusque praecepta Israelitarum infidelitati in praecepta Jahvae opponere atque laudare, ceteroquin autem eos non sequi. Neque ex Jehu, qui mandatu prophetae Elisa regali unguento illitus est, coniunctione cum Rechabitis (2 Rg 10, 15s.) colligendum est Rechabitarum nomadum victum ad prophetas pertinuisse (*E. Sellin*, Der alttestamentliche Prophetismus p. 9), nam ardenti in Jahven studio (ib. v. 16), non victu Rechabitarum nomadum utrique coniungebantur.

[3] Volksreligion und Weltreligion p. 92.

[4] Jahvedienst und Volksreligion in Israel p. 33. Conferas etiam *J. Meinhold*, Einführung in das AT p. 221. 235.

cumas, alia eius modi. In quibus institutis publici cultus divini tam communes notiones religionis expressae sunt, ut necesse sit nos in omnibus religionibus multa paria et similia invenire. Neque sollemnia messoria, cum a sectatoribus verae religionis Jahvae semper celebrarentur, propterea quod Jahven semper pro auctore messis habebant (Gn 26, 12; 27, 27s; Dt 7, 13. al.), cum G. Wildeboer[1] ex religione populari recepta esse putanda sunt.[2]

Sunt qui dixerint religionem popularem eatenus fontem religionis prophetarum haberi posse, ut aetate exsilii Babylonii „compromissum" inter duas religiones factum sit; religionem prophetarum illam quidem tum vicisse, sed integram non mansisse; nam aliquid „idealismi" sui perdidisse atque opiniones suas formis sub sensus subiectis vestire oportuisse.[3] At respiciendum est, quid prophetae in legibus cultus excolendis spectaverint. Tum enim prorsus necesse erat eos cultum a populo extrinsecus exercitatum impugnare, leges cultus accuratius constituere easque ad definitum dei mandatum referre, ut populus cultu accurate praescripto semper admoneretur, quae ei rationes cum deo intercederent, et imprimis quid in religione peccavissent; nam aliter in eo desiderium reditus in gratiam cum deo excitari non poterat.

Prophetae non solum crebro cultûs ut pietatem exprimentis mentionem faciunt (Jes 30, 29. al.), sed etiam operam dederunt, ut leges cultus excolerent. In qua re quaeritur, quo consilio id fecerint. Ezechiel quidem (c. 40—48) id egit, ut templum rursus aedificaretur, cultus restitueretur, leges cultus excolerentur idque, ut populus ob culpas, quas de deo commeruerat, erubesceret (43, 10). Cultus autem nihil aliud spectabat nisi ut pietas foveretur atque populi conscientia culpae studiumque dei placandi excitaretur. Itaque, ut exemplum afferatur, cultus praeceptis gravem admonitionem inseruit, ne iam leges ut prioribus temporibus (cf. Am 2, 6s; 3, 10; 8, 4—6; Hos 12, 8; Jes 1, 17. 23; 3, 15; 5, 7s. 23; Mich 3, 3. 11; Jer 7, 5s; 22, 3. al.) violarentur (45, 9—12), id quod 46, 18 rursus inculcat. Etiam atque etiam affirmat nihil maioris momenti esse quam ut animus hominis renovetur; dicit consilium dei esse: „Auferam cor lapideum de carne eorum et dabo iis cor carneum" (11, 19); 18, 31 quoque et 36, 25—27 rursus de animis et cordibus renovandis agit.[4] Ut autem Ezechieli, ita aliis quoque prophetis posterio-

[1] Jahvedienst und Volksreligion in Israel p. 35.

[2] *E. König*, Geschichte der alttestamentlichen Religion[3-4] p. 128s.

[3] *A. Kuenen*, Volksreligion und Weltreligion p. 165. Conferas *G. Wildeboer*, Jahvedienst und Volksreligion in Israel p. 32.

[4] Ceterum Ez c. 40—48 non leges cultus, quae in posterum ad verbum observandae sint, continent. Illis capitibus de visione agitur, qua propheta imagine theocratiae veteris testamenti, quae est typus regni messiani, et cultûs eius post exsilium restituti utens et quo modo regnum messianum cum hac theocratia spiritualiter cohaereat, et eius splendorem emolumentaque describit. Quare in de-

rum temporum (velut Haggai et Sacharja, qui vehementer id egerunt, ut templum restitueretur: Hagg 1, 2ss. Sach 8, 9ss.)[1] cultus in templo exercitatus erat *symbolum fidei*, quam populus deo praestabat, erat *significatio pietatis*, quae legibus cultus diligentissime observatis augenda erat (cf. etiam Jes 56, 2; 58, 13; Jer 17, 19—27, ubi de celebratione sabbati agitur). Si igitur gens Israelitica vel eius sacerdotes postea non intellegebant, quid sibi prophetae in legibus cultus exponendis peterent, eius rei culpa neque prophetis neque deo, qui iis illud mandavit, attribuenda est.

Conferas *E. König*, Geschichte der alttestamentlichen Religion[3-4] p. 438—442.

Hoc quoque falso dicitur religionem prophetarum tum viliorem factam esse, quia patriae amorem imminuerit; tum demum aliquem et diligentem religionis cultorem et civem patriae amore carentem esse potuisse.[2] Nam id etiam apud Israelitas antiquos fieri potuit. Velut in carmine Debora prophetissae, quod vetustissimum esse vulgo agnoscitur, Rubenitas ad gentem Jahvae pertinere negatum non est, quamquam ob neglectam belli societatem vituperantur (Jdc 5, 15s.). Ceterum ne temporibus quidem Esram sequentibus fides in Jahven et amor patriae disiuncta erant. Immo vero etiam iis temporibus amor religionis patriae amorem libertatis patriae aluit, id quod ex libris Maccabaeorum perspici potest.

J. Wellhausen igitur, quod ecclesiam Judaicam, cum respublica Judaica interiret, ortam esse dicit (Israelitische und jüdische Geschichte[7] p. 169. Berlin 1914), historiae sacrae obloquitur.

Nonnulli viri docti religionem popularem esse *fontem* universae Israelitarum religionis atque *unam* eorum *religionem* usque ad nonum saeculum, quo prophetae de religione, cultu, moribus nova postularent, contenderunt. Quod cum historia Israelitarum omnino discrepat.

Velut *E. Meyer*[3] religionem popularem non modo *fontem* universae Israelitarum religionis appellat, sed eam etiam *pluris* aestimat quam religionem legitimam.

---

scriptione novi templi (c. 40—43), novi cultus divini (c. 44—46), terrae sanctae (c. 47—48) multa invenimus, quae neque ad verbum intellegenda sunt, neque praecepta, quae ad litteram observanda sint, continent.

[1] *E. Kautzsch* (Biblische Theologie des AT p. 312) locos quoque Joel 1, 9. 13. 16; 2, 14 (ubi praescribitur, ut sacrificia incruenta constanter offerantur) ad id refert. At ex ipsis verbis prophetae 2, 13: „Convertimini ad Jahven, deum vestrum!" elucet eum non post exsilium fuisse, nam tum nondum multi ex Israelitis a religione legitima defecerant. Ceterum videas *E. König*, Die messianischen Weissagungen des AT vergleichend, geschichtlich und exegetisch behandelt (Stuttgart 1923) p. 205 s.

[2] *A. Kuenen*, Volksreligion und Weltreligion p. 170.

[3] Der Papyrusfund von Elephantine p. 38—67.

Dicit religionem popularem esse religionem a „sacerdote" Mose per sacerdotes repetitam, cum in sacris litteris Moses nunquam „sacerdos" nominetur.[1] Idem eam *unam* religionem antiquorum Israelitarum esse dicit, id quod rursus ab historia sacra abhorret. Secundum eam religio Abraham est initium religionis non ex ingenio gentis Israeliticae profectae i. e. religionis a religione populari diversae (Gn 12, 1; 20, 7; Jos 24, 2s. 14s.). Secundum eandem Moses est „propheta", per quem deus altiorem gradum religionis genti Israeliticae revelavit (Dt 18, 15; Hos 12, 14; Jer 7, 25. al.). Ne „Jahvista" quidem, quem E. Meyer scriptorem religionis popularis antiquorum Israelitarum appellat, eo munere functus est; nam et ipse testis est religionem Mosaicam in revelatione divina, quae Mosi contigit, positam esse (Ex 3, 2ss; 6, 2ss.). Ceterum E. Meyer iniuriâ negat „Jahvistam" credere Jahven creatorem mundi et gubernatorem rerum humanarum esse (Gn 2, 4—25; 6, 5—8; 11, 1—9; 24, 3. al.).

Contra religionem popularem antiquorum Israelitarum E. Meyer inde a nono saeculo a prophetis nova morum, religionis, cultus praecepta data esse dicit. Etiam quod rex Josia genti Israeliticae inculcavit, ut unum Jahven coleret (anno 621), novum aliquid fuisse contendit. At prophetae saeculorum noni et octavi nihil novi instituere, sed gentem ad antiquam religionem reducere voluerunt. Exhortabantur eam, ut eam religionem, quae tum, cum Jahve Israelitas Mosis operâ ex Aegypto eduxit, exercebatur, teneret (Hos 11, 1; 12, 14). Et quod rex Josia polytheismum, qui saeculo septimo (Manasse et Amon regnantibus) rursus fovebatur (2 Rg 21, 1—26), impugnavit, id novum aliquid nominari non potest; nam omnibus temporibus religio Mosaica postulavit, ut solus Jahve coleretur, id quod ex multis sacrarum litterarum locis apparet. Quare iam in carmine Debora prophetissae (Jdc c. 5) solus Jahve „deus aeternus et fidelis" praedicatur ideoque iam tum, cum id carmen exortum est, Israelitae „inter canales (i. e. apud fontes, ubi pecus ad aquam ducitur, in officiis igitur cottidianis) iustitias Jahvae (i. e. iusta eius facta, quibus hostes prostravit et gentem suam a tyrannis iniuste oppressam liberavit) celebrare" vulgo soliti sunt (v. 11).

[1] *H. Greßmann* quoque (Mose und seine Zeit. Ein Kommentar zu den Mose-Sagen p. 162 etc. Göttingen 1913), *R. Kittel* (Die Religion des Volkes Israel p. 44), alii Mosen ad arbitrium „sacerdotem" appellant. De qua re videas *E. König*, Geschichte der alttestamentlichen Religion$^{3-4}$ p. 204.

Verum religio popularis antiquorum Israelitarum ab E. Meyer non solum una eorum religio habetur, sed etiam religione legitimâ *pluris* aestimatur, ut religioni legitimae anteponi potuerit fide in Jahven non violatâ. Id ex multis locis libri ab eo confecti apparet. Velut diserte dicit regem Josia in pueritia ad regnum pervenisse tamquam eo explicetur eum anno duodevicesimo (!) regni sui cultum divinum correxisse atque emendasse. Opinionem illam Jahven unum deum esse E. Meyer ex „aemulatione" Jahvae ducit, qui alium deum praeter se passus non sit. Atqui omnes scriptores biblici consentiunt ab Abraham et Mose sublimiorem religionem et quae a religione populari diversa sit, initium cepisse neque in ea quidquam gravius fuisse quam cultum unius Jahvae. Eam ex aemulatione Jahvae ducere cum historia discrepat; nam in sacris litteris inde ducitur, quod Jahve rebus gentis Israeliticae se immiscuit, eam ab eius oppressoribus liberavit, ei se revelavit.

Illa opinione dei, quam Israelitae ex servitute Aegyptia liberati suam fecerant, id quoque effectum est, ut Israelitae post immigrationem in terram Canaan libera ac propria natio permanerent; nam dubium non est, quin Israelitae in Cananaeorum, quippe qui cultu profano iis multo praestarent, dicionem concessuri fuerint, nisi religione sua a malis pravisque Cananaeorum moribus servati essent.[1] Israelitae, quidquid valebant, sola sua religione Jahvae consecuti sunt, cuius firmissimum columen prophetae fuerunt. Quamdiu igitur religio Jahvae religio sublimis et quae polytheismum et cultum imaginum etc vinceret, existimatur, tamdiu concedendum est prophetas veros duces gentis fuisse. Neque si saepius maior minorve pars gentis opinionibus et postulatis prophetarum restitit, eo contrarium efficitur, sed potius illas opiniones et postulata prophetarum non ex ingenio gentis Israeliticae profecta esse. Quae cum ita sint, opinio dei a prophetis praedicata religio legitima Israelitarum fuit. Quare iniuriâ maior minorve pars gentis ab ea religione defecit. Eas autem religionis opiniones ritusque, quibus Israelitae a Jahve deficientes indulgebant et quibus ipsis religio popularis consistit, viliores fuisse eo ipso demonstratur, quod saepe ad cultum turpem inclinabant.

[1] Quod a compluribus viris doctis iure praedicatum est. Conferas *K. Budde*, Das AT und die Ausgrabungen (Gießen 1903) p. 33. *B. Stade*, Biblische Theologie des AT I, p. 58s. *C. P. Tiele-N. Söderblom*, Kompendium der Religionsgeschichte[4] (Berlin 1912) p. 154. *E. König*, Geschichte der alttestamentlichen Religion [3-4] p. 317.

Quare illae partes gentis Israeliticae a prophetis non modo propter fidem in Jahven non servatam, cuius potentiam atque auxilium quondam experti erant et agnoverant, sed etiam propter sublimiora morum praecepta violata iure vituperatae sunt.

Quod autem E. Meyer de historia religionis Israelitarum ita loquitur, quasi Israelitae cultu aliorum deorum recepto vel nihil mali in se admiserint vel etiam in religione processerint, id cum fontibus, unde notitia illius historiae haurienda est, discrepat. Ut quod regem Manasse defendit, cum dicit eum utile existimasse praeter deum gentis suae alios quoque deos, qui se potentes praestiterint, colere,[1] neque respicit gentis esse deo suo fidem praestare, cum eum unum colat, neque agnoscit genus humanum ita procedere, ut polytheismus monotheismo vincatur. Quare ea, quae a Manasse aliisque regibus, qui peregrinorum deorum cultui favebant, facta sunt, prophetae omnesque sectatores religionis Jahvae iure questi sunt atque ut fidem in Jahven violatam vituperaverunt. Si autem ii, qui non solum fidem in deum patrium violaverunt, sed etiam ad humiliorem religionis gradum descenderunt, defenduntur, sublimitas religionis veteris testamenti non intellegitur, eius prima lex: „Non erit tibi deus alius coram me" (Ex 20, 3) aboletur, sanctitas dei, quam illa religio profitetur, negatur, ab eo deficere et fictos deos colere fas esse dicitur, cum interim religionem a Zarathustra conditam religione antiquorum Persarum, qui naturam rerum colebant et magiae dediti erant, aliquid superius esse contenditur[2] atque complures poetae et philosophi gentilium propter eorum puriorem intellectum dei praedicantur. Immo vero etiam duces Israelitarum a deo constituti summis laudibus efferendi sunt, quod gentem suam

[1] Idem alii iudicant. Ut *R. Kittel* (in „Realenzyklopädie für protestantische Theologie und Kirche"[3] XII, p. 155) Manassen iure (!) Jahven deseruisse dicit, quod diis Assyriorum non potentiorem se praebuerit (cf. Geschichte des Volkes Israel II[6] p. 393). Atque *J. Meinhold* (Einleitung in das AT p. 155) per se ipsum intellegi (!) affirmat Manassen praeter religionem popularem „religionem" quoque „regni" agnovisse et deos Assyriorum coluisse neque ita a Jahve se deficere putasse. At Israelitae experiendo didicerant calamitates, quae in se ingruerint, non ex infirmitate Jahvae profectas, sed pro poenis, quas sibi a Jahve propter infidelitatem suam acciderint, habendas esse (cf. 1 Sm 7, 3. Neh 9, 37. al.).

[2] Religionem a Zarathustra (cf. *B. H. Springelt*, Zoroaster the great teacher. London 1923) institutam priore Persarum religione superiorem esse vulgo agnoscitur. Ceterum ea religio non erat religio popularis. Immo vero populus antiquos deos colere non desiit. Atque Ahura-mazdâ postremo a Mithra dignitate sua privatus et secundi ordinis factus est. Id quoque, quod Buddha condidit, non religio populi, sed eorum, qui ex hominum conventu recesserant, erat.

ad superiorem gradum religionis morumque educere studebant, neque immerito Manasse aliique reges vituperantur, quod pravae religioni pravisque moribus gentis suae non severe obsistebant ac religionem Jahvae neglegebant.

Videas *E. König* in „Archiv für Religionswissenschaft" XVII, 1914. p. 57—62. Die sogenannte Volksreligion Israels p. 40—50.

3. Nonnulli contendunt religionem popularem non prius exstitisse, quam Israelitae in terram Canaan immigraverint.

Velut *K. Marti* (Geschichte der israelitischen Religion[5] p. 88s.), *F. Böhl* (Kanaanäer und Hebräer p. 105), *R. Kittel* (Die Religion des Volkes Israel p. 53), *T. K. Cheyne* (The two religions of Israel with a reexamination of the prophetic narratives and utterances. London 1911), qui existimat religionis popularis unum hoc proprium fuisse deum Baʿal magis colere quam Jahven atque cultum dei Baʿal et cultum Jahvae „duas religiones Israelitarum" esse, de quibus agendum sit.

Quod prorsus falsum est. Nam religio popularis *semper* praeter religionem legitimam apud Israelitas exstabat, nisi quod modo plures modo pauciores, modo magis vulgus modo homines eruditi et nobiles ei dediti fuerunt. Atque iam aetate patriarcharum vestigia religionis popularis invenimus. Illud quidem demonstrari non potest, quod *F. Hommel*[1] dicit cultum lunae religionem patriarcharum fuisse; id apparere ex antiquissimis personarum nominibus. E quibus tamen nominibus id comprobare conatus non est. Quod autem affert Abraham ex una urbe lunae (Ur-Kasdim) in alteram (Haran) migrasse, non respexit Abraham tantum unâ cum comitibus Terah patris in urbem Haran profectum esse (Gn 11, 31), eam autem urbem suosque propinquos propter ipsam religionem reliquisse,[2] ut minime cultor lunae appellari possit. Praeterea F. Hommel dicit cultu vituli aurei effici Israelitas antiquos cultui lunae deditos fuisse; nam illum vitulum cum capitibus taurorum in Arabia inventis componendum esse, quae, cum cornibus novae lunae similia sint, symbola dei lunae Wâdd erant.[3] At ne id quidem probari potest. Illum vitulum aureum

[1] Grundriß der Geographie und Geschichte des alten Orients I (München 1904) p. 89 s.

[2] Quod ex Gn 12, 1 non videmus, cur Abraham urbem Haran ac propinquos suos reliquerit, id ex Jos 24, 2s. cognoscimus. Verba huius loci legenti certe permirum apparet, quod nonnulli viri eruditi ex iis perspicere voluerunt, Abraham ipsum ante vocationem divinam falsos deos coluisse. Nam praeterquam quod nullum locum biblicum invenimus, ubi de falsorum deorum cultu ab Abraham exercitato agatur, ne ex illo quidem loco colligi potest, quod docti illi viri affirmant, sed sententia plane contraria, ut e contextu ipso elucet.

[3] *S. Landersdorfer*, Die Bibel und die südarabische Altertumsforschung p. 64 (Biblische Zeitfragen III, 5—6) Münster i. W. 1910.

nihil aliud significare nisi symbolum dei a Mose Israelitis praedicati ex Ex 32, 5 manifestum est. Fortasse imitatio tauri albi Mnevidis fuit, qui Heliopoli in sacello quodam templi solis sustentabatur. Certe quidem, ubi re vera de falsorum deorum cultu ab Israelitis in deserto commorantibus exercitato sermo est (Lv 17, 7), neque cultus lunae neque tauri, sed sacra daemonibus hircinae figurae facta, qui in locis desertis degere credebantur, nobis statuenda sunt. Quod autem in Pentateucho religioni populari aetate patriarcharum attribuitur, sunt teraphim sive penates, quos Rahel e domo patria cum Jacob coniuge egressa surripuit secumque duxit et in sella camelina occultavit (Gn 31, 19. 32—34), postea autem Jacob cum aliis instrumentis ad fictorum deorum cultum pertinentibus sub terebintho quadam defodit (ib. 35, 4).[1]

Falso dicitur phalli cultum Gn 24, 2; 47, 29 commemorari (*H. H. Spoer* in „Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft" XXVIII, 1908, p. 284), nam ex iis locis id tantum cognoscimus manu membro genitali appositâ iuratum esse, si iusiurandum ad posteros pertinebat iisque factum esse existimandum erat. Quare hîc memoriae non traditur patriarchas phalli cultui deditos esse.

J. Boehmer (in „Archiv für Religionswissenschaft" XII, 1909, p. 318) aetate patriarcharum deum fortunae nomine *Jamîn* commemorari putat. At *Bin-jamîn* (Gn. 35, 18) filium dexterae i. e. felicitatis significat, quod dexterum latus ex opinione pervulgata secundum latus est (opp. *Ben-'ônî* = filius infelicitatis meae, ib.). Conferas Homer. Odyss. 15, 160s: *ἐπέπατο δεξιὸς ὄρνις, ἀειτός* et hic secundum v. 173 fuit felicitatem promittens. Videas etiam v. 525 et 20, 242.

Neque recte nonnulli[2] putant religionem popularem ex aetate Mosaica demum apud Israelitas deprehendi, quod in libris divinis dilucide memoriae proditur Israelitas iam in Aegypto commorantes religionem patriarcharum saepius deseruisse (Jos 24, 14. 23; Ez 20, 7s; 23, 3. 8). Inde religionem popularem omnibus temporibus historiae Israelitarum invenimus, id quod ex multis locis biblicis elucet.

Quod *A. Kuenen* (Volksreligion und Weltreligion p. 73) „religionem popularem a prophetis saepius severe improbatam esse" dicit, respiciendum est ea, quae religio popularis Israelitarum appellanda sunt, ut studium divinationis, artis magicae, venerationis imaginum fictorumque deorum etc, fidos Jahvae cultores omnibus temporibus impugnasse.

4. Quaerenti, num religio popularis ultimis ante aeram Christianam saeculis exstincta fuerit, haec respondenda sunt: Ante exsilium saepe magna pars populi a legitima religione defecerat; aetate

[1] *E. König* in „Archiv für Religionswissenschaft" XVII, 1914, p. 48—50. Praeterea videas *I. Skinner*, Prophecy and religion. Studies in the life of Jeremia (Cambridge 1922) c. 4.

[2] Velut *G. Wildeboer*, Jahvedienst und Volksreligion in Israel p. 22.

regis Ahab tantum septem milia Israelitarum fuerunt, quorum genua non erant incurvata ante deum Baʿal (1 Rg 19, 18). In exsilio Babylonio Judaei religionem patrum suorum complexi sunt in eaque inde permanserunt; magnam autem partem exsulantium religioni populari deditam fuisse ex Jes 42, 17; 46, 5—7; 48, 5—13; 57, 3—11; 65, 3s. 11; 66, 17 apparet. Haud meliores erant exsulantes, qui ad flumen Kebar habitabant, id quod ex Ez 14, 3; 20, 30—32. 39 cognoscitur. Neque omnibus post exsilium temporibus Judaei veram religionem Jahvae prorsus conservaverunt. Aetate Esrae illâ quidem Judaeos a religione populari se avertisse et summo studio religionem legitimam amplexos esse concedendum est. Sed etiam extremis a. Ch. n. saeculis apud eos haud pauca vestigia divinationis et magiae invenimus; etiam tum falsos prophetas et prophetissas exstitisse ex Neh 6, 7—14 (Semaja, Noadja) cognoscimus; tum quoque periculum erat, ne monotheismus opinione hypostasium, quae, quamquam ipsae creatae sunt, tamen attributis divinis distinguuntur, quod dei vice funguntur,[1] corrumperetur; item periculum erat, ne praecepta morum ineptiis ac molestissimis diligentiae perversitatibus infirmarentur neve virtutes mercedis solius causâ exercitarentur; denique periculum erat, ne quod futuro regno divino vere propositum erat, spectaretur, sed id in iis solis, quae civitati extrinsecuis utilia essent, quaereretur. Etiam in eo religio popularis deprehenditur, quod Judaei ultimis his temporibus reipublicae ex gentili amore sui credere coeperunt mundum ex Sion creatum esse (Joma 54b),.[2]

[1] Velut *Metatron* i. e. spiritus, qui proximus deo praesto est, qui et vice eius fungitur et patrocinium gentis Israeliticae coram deo suscipit. In Targumim hypostasis nomine *Memra* (= verbum) commemoratur, quae loco dei est, quotiens cum gente sua commercium habere coepit. Videas *F. Weber*, Jüdische Theologie auf Grund des Talmud und verwandter Schriften dargestellt² (Leipzig 1897) p. 178—184.

[2] *E. König* in „Archiv für Religionswissenschaft" XVII, 1914, p. 53.

Addenda

Ad pag. 6. lin. 21. — *C. v. Orelli* (Der nationale Charakter der alttestamentlichen Religion. Zürich 1871) dilucide demonstravit religionem veteris testamenti, cum ad totam gentem Israeliticam atque ad eam solam pertineret, pro gentis insigni habendam esse, eandem vero ab initio omnibus quoque gentibus destinatam fuisse, ut et unius gentis propria et omnibus gentibus destinata fuerit.

Ad pag. 8. lin. 19. — Ceterum respiciendum est apud Indos religionem popularem Brahmanismo oppositam non esse; nam etiam Brahmani, quibus Brahma (i. e. vis mystica, qua quis aptus fit ad pericula commercii cum diis et spiritibus habendi sustinenda atque omne genus artium magicarum exercendum) inesse existimatur, religionem popularem defendunt.

Ad pag. 60. lin. 3. — Atque si respicimus Heliopolim in terra Gosen aut in eius finibus sitam fuisse, certe notabile est, quod Israelitae Aegypto vix egressi iam cultui vitulorum se dederunt. Neque tamen verisimile est Israelitas modo a vexatoribus liberatos ipsum simulacrum dei vexatorum symbolum eius dei, qui se liberasset, elegisse. Ceterum Aegyptii, quamquam taurorum imagines in pompis circumferebantur, tamen vivos tauros ipsos colebant. Quibus rebus adducimur, ut Israelitas sibi ipsos vitulum symbolum dei elegisse existimemus. Si cogitamus, et quam prompto animo in deserto vitulum aureum, quem Aaron fingendum curavit, pro symbolo Jahvae, qui eos ex Aegypto eduxerat, amplexi sint et quanta facilitate Jerobeam I Jahven sub imagine vituli cultum in regnum decem tribuum induxerit, vix erramus, si taurum propter robur et utilitatem in toto oriente, imprimis apud gentes Semiticas, pro imagine dei habitum esse iudicamus. Contra dici potest in historia patriarcharum nullum vestigium reperiri, unde appareat dei sub imagine vituli vel tauri cultum ex religione ant patriarcharum aetatem exercitata reliquum esse. At quod Abraham in mediis idololatris habitabat, quod in oriente antiquo tauro vulgo symbolo dei utebantur, quod denique Israelitae Jahven imagine vituli fictum promptissimo animo amplexi sunt, multis rebus admonemur, ut sicut apud alias gentes, ita apud Israelitas deum imagine vituli exprimere patrium fuisse statuamus. Qui autem statuunt vel Israelitas cultum vituli ab Aegyptiis mutuatos esse vel deum imagine tauri fingere apud Israelitas patrium fuisse, veteri testamento nequaquam adversantur, quoniam ibi idololatriae Israelitarum in Aegypto commorantium saepius mentio fit et iam aetate Abraham antecedente „patres" gentis a deo electae aliis diis servisse diserte memoriae traditur.

Alia eiusdem auctoris opera:

De polytheismo universo et quibusdam eius formis apud Hebraeos finitimasque gentes usitatis. XXXI et 341 p. Tres tabulae geographicae additae sunt. Oeniponte, 1908, Wagner.

De Hebraeorum ante exsilium Babylonium monotheismo. XXIX et 191 p. Oeniponte, 1910, Wagner.

De polytheismi origine quae sit doctrina sacrarum litterarum patrumque ecclesiae. IX et 149 p. Oeniponte, 1911, Vereinsbuchhandlung.

De diis gentilium quid sacrae litterae veteris testamenti iudicent. XI et 189 p. Oeniponte ,1912, Vereinsbuchhandlung.

Archaeologia biblica. XVIII et 824 p. Viginti tres imagines additae sunt. Oeniponte, 1917, Wagner.

Formae cultus Mosaici cum ceteris religionibus orientis antiqui comparatae. VIII et 85 p. Oeniponte, 1917, Vereinsbuchhandlung. Nova editio sub prelo est.

Hermeneutica biblica. 158 p. Oeniponte, 1923, Rauch.

Quaestiones de vetere testamento et comparativa religionum historia recentiore aetate propositae. XV et 95 p. Abbatia B. M. V. de Tongerloo (Belgium) 1925.

Commentationes biblicae. II. *De Judaeorum in Elephantine-Syene colonia eiusque rationibus cum vetere testamento intercedentibus.* Sub prelo est.